

pts. 50
22,468/B

NOVÆ SALIS

PROPRIETATES,

DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA

DE SALIS HISPANI,

Vulgò de la laguna de la Higuera,

MIRABILI IN MEDENDO VIRTUTE,
ejusque multiplici ac præstantissimo in profectum humani generis usu.

AUCTORE

Lic. Dom. Vincentio Ferrér, Gorraiz Beaumont & Montesa, olim in Academia Complutensi & Pintianæ Philosophiæ & Theologiæ Publico Professore: nunc Regalis Historiæ naturalis Matritensis Musæi Historiographo Regio.

SUPERIORI PERMISSU:

MATRITI, ex Typographia Regia, vulgò de la GAZETA.
Anno M. DCC. LXXX.

Revera autem si quis inter mortales reperiatur, qui sive methodo aliqua certa, sive remedio specifico adhibito, febrium harum intermittentium cursum non solùm inhibere, sed etiam omninò abrumpere novit, existimo eum omni jure teneri, ut humano generi rem illam summoperè expetendam patefaciat: quod si non fecerit, ego illum nec boni civis, nec prudentis viri nomen mereri pronunciare ausim: neque enim boni Civis est illud in rem suam vertere, quod toti generi humano tam ingens beneficium apportet, nec viri prudentis divina benedictione semetipsum privare, quam à summa bonitate liceret expectare, si ad publicum bonum promovendum se accingeret. Honoris autem ac divitiarum longè minor apud probos ratio habetur, quàm virtutis & sapientiæ. Sydenhamus, Observ. Medic. sect. 1. cap. 5. pag. 9. edit. Venet.

EXC.^MO D. D. JOSEPH MOÑINO.
Comiti de Florida-blanca, Regij Caroli Tertij Ordinis Equiti pensionario : Supremi Status Consilij Senatori : à sanctioribus Regis secretis consilijsque omnibus Primario : Tabellarijs, Cursoribus, Nuntijs terræ ac maris, eorumque proventibus in Hispania & India Præfecto : Regij Apellationum Senatus ab eorum Tribunalibus amplissimo Præsidi, &c. &c. &c.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

Cum Tibi gratissimum fore intelligerem quidquid ad commune bonum, Scientiarum Artiumque uberiùs incre-

men-

mentum quomodolibèt spectare potest, hanc Tibi Dissertationem inscribere decreveram. Quo consilio prolixam exaravi epistolam nuncupatoriam, in qua hoc uno animum ac meam maximam gratitudinem recreabam, quòd præclarissimas tuas dotes Orbi universo prædicarem. At consilium Amici qui tui intima cordis optimè noscit, me à sententia deterruit, certissimè ac sine fuco asseverans, Te ita esse à natura comparatum, ut quod ceteri ambire plerumquè solent, nullum laudum tuarum prædicationi locum esse patiaris; licèt ista ipsa tua severitate ac temperantia dignus appareas, qui ab omnibus summis laudibus commendêris. Hæc tantùm persuassio meam gratitudinem ac calamum deducere valuit à tuarum virtutum enarratione merito-

rum-

rumque præconijs. At futurum spero ut eadem vel invita observantia, (nam conceptum sermonem retinere quis poterit?) *aliqualis sit meriti, ut levissimum hoc munus benignè à Te acceptum eat: Teque intereà ad Scientiarum præsidium, Tribunalium majestatem, & immortalem Hispani nominis gloriam, ut incolumem diù servet, Deum Optimum Maximum enixè precatur.*

Lic. Dom. Vincentius Ferrér, Gorraiz
Beaumont & Montesa.

ERRA-

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag.	*lin.*	*errata*	*corrige*
13	17	prefert	profert
26	16	affere	afferre
27	7	apriori	à priori
39	10	mensi	mense
98	12	*Sydenhamius*	*Sydenhamus*
127	13	pallude	palude
Ibid.	20	usquedium	usquedùm
139	6	berbis	herbis
148	15	denotabit	detonabit

Alia minoris momenti ut incolumen pro incolumem, atributo pro attributo, spheram pro sphæram, depræhendimus pro deprehendimus, presertim pro præsertim, præjuditio pro præjudicio, Lectoris discretioni relinquo.

PRO-

PROLOGUS.

1. BEnevole Lector: Ubi desiit Dissertatio, incipit prologus; hæc enim est hujusmodi operum conditio. Primò: Auctor finem operi imponit, ac postremò rationem reddit ac causas, quæ illum ad opus conficiendum impulerunt. Sapientissimus Thomas Sydenhamus hanc sequitur opinionem, quod *nec boni civis nec prudentis viri nomen mereatur, qui omnia quæ scit bono societatis non consecrat, quin sui honoris ac divitiarum rationem habeat.* Hanc eamdem sententiam multis abhinc sæculis confirmavit Apostolus, qui de charitate quæ juris divini est ac naturalis pertractans asserit: quod *non quærit quæ sua sunt.* (1) Nec Divus Paulus nec Sydenhamus aliquam distinctionem inter Medicum ac non Medicum adinvenêre, ut quisque in commune consulere teneatur. Omnes homines in universùm jus naturale comprehendit, atque à natura hominis hoc debitum ac obligatio proficiscuntur. Id huma-

(1) Ad Corinth. 1. cap. 13. v. 5.

manitatis officium non tantùm viri, sed & fœminæ mirificè præstiterunt, uti Domina *Oliva Sabuco* in sua Nova Philosophia, cujus est Auctrix originalis; ac Domina *Fouquet* in duobus selectiorum medicamentorum libris, quæ sui æris dispendio compilavit. Non me fugit illud Horatij *Tractent fabrilia fabri*; verùm præterquamquòd nec etiam me latet, quod qui architecturæ studeat ac illam ex omni parte percalleat, peritus architectus erit, licèt ex ea nullum lucrum reportet, minimè dubito Angelici Præceptoris doctrinam, quod scilicèt *intellectus intelligendo fit omnia*: id quod pluribus illustrat eruditissimus *Feyjoo* (1) qui consultò asserit, „majores in quacumque arte sive „scientia progressus facere, qui ei pro elec„tione incumbit, quàm qui ad panem lu„crandum studere contendit; quia genio & „applicatione scientiæ omnes ac artes promo„ventur.“ Quàm plura nupèr dictorum referre possem exempla; at hæc est eruditio vulgaris, quæ ubiquè inveniri licet.

2. Supposita hac qualiquali pro Auctoris conditione apologia, ad cetera majoris momenti monita pergamus. Sal & aquæ (vulgò

(1) Illustriss. Feyjoo Epist. erudit. tom. 1. epist. 15. per tot.

de *Aranjuez*) animum captarunt & attentionem piissimi nostri Regis, (quem Deus incolumen servet) qui zelo ac amore ut assolet erga subditorum suorum commoda & salutem inflammatus, suo regali Proto-Medicato præcepit, ne ulli labori ac sumptui parceret in hujus salis atque aquarum utilitate discutienda. Minimè contendo, ut Sal paludis (vulgò de la *Higuera*) tam prospera fortunâ feratur; nam etiam sal naturam salis amittet, si fulcro ac protectione privetur. At cum noster Sal æqualis, imo meo videri superioris virtutis existat ac sal (vulgò de *Aranjuez*), nam sincerus & naturalis modus quo producitur majorem ejus puritatem testatur, parem adminùs calamum exposcebat, qui præstantissimas ejus qualitates exponeret, ac coram sisteret mirabilem ejus usum in societatis humanæ emolumentum, ac splendorem Hispaniæ, quam Deus pro sua infinita bonitate cumulare voluit tàm magni pretij scaturigine, quæ ditissimas superet Peruvij aurifodinas; & id nullo alio labore quàm illum per otium decerpere.

3. Non est mihi propositum cum alio cujuscumque Auctoris, etiam si quidam sit, meum calamum comparare; calamus namque meus id sibi amplissimum censet, quod de

humilitate glorietur. Contentus profectò ero, si in hac Dissertatione summatim exposuerim quæ de hoc incomparabili Sale dicenda forent. Si in illa aliqua vox vel periodus offendatur quæ minus decora videatur (neminem lædere tento) vel ut minimè dicta existimetur, vel ut è materia sive è re nata; nam nihil mirum si argumentum adeo salsum quandoque pungat, si manus in sale excesserit. Nulla eruditio cumulatior, verùm neque vilior, quàm Medicinæ incertitudinem sugillare; præstantiores namque Medici ab Hyppocratis tempore illam contenta voce proclamant. Id idem est ac fastum traducere, luxum vituperare, in quo nec progredimur nec regredimur. Quandiù Mundus extiterit, (ab initio etiam fuit sic) erunt boni ac mali Medici, & quod maximè dolendum, quod mali bonos superent; at cum id ferat hominum conditio, perdificilis est hujus mali curatio.

4. Auctores Medici utuntur hoc nomine *Sal* in genere neutro potissimùm in plurali. Nos illis morem gerentes in eodem genere nunquamnòn usurpavimus. Illi quorùm auctoritate & doctrina hanc Dissertationem roboramus, ad unguem ac fidissimè referuntur; & sunt quos suis præclaris animi dotibus, inde-

defesso studio ac longissima experientia uti Magistros Medicinæ veneramur. De cetero nihil monendum occurrit, nam id vel aliud quod præmonere poteramus, in suo quoque loco reperietur.

5. Nihilominùs, ut omnis vitetur equivocatio, ac noster Sal ut artis est usurpetur, operæ pretium ducimus præmonere, quod Dissertatio hæc in tria partitur capita; in quorum primo de origine, natura, proprietatibusque nostri Salis pertractamus: & postquàm ex communi Auctorum consensu statuimus, penè impossibile esse prima rerum explorare elementa, & quod ut aliquis progressus fiat in Physicis non est alia securior via, quàm nulla acceptare principia nisi observationes ac experimenta, nec admittere ut verum nisi quod ex istis concludatur, uti docet clarissimus *Ludovicus Philipus Chumigius*, ac demonstrat sapientissimus *Triller* in sua eruditissima exercitatione chemico-physica de *Fallacia experimentorum chemicorum ad intiman Thermarum naturam explorandam*, (1) progredimur ad agendum de salibus in communi. Traditis deinde de-

(1) Daniel Triller, Opuscul. Medic. tom. 3. exercit. chem. physic. pag. 1.

definitionibus salium mediorum, in quorum classe statuitur Sal, qui est hujus Dissertationis argumentum, exponimus modum quo talia salia operantur, ac morbos quibus medentur, transcribentes ad litteram *Fridericum Hoffmanum*, qui *tom.* 6. *Dissert.* 3. *pag.* 19. *n.* 16. asserit de salibus medijs, ac potissimùm de Nitro, omnia quæ in *num.* 15. Dissertationis nostræ proponuntur. His non obstantibus, ut scitè quis utatur nostro Sale in morbis, qui *cap.* 1. §. 2. *n.* 11. referuntur, ac alijs ejusdem naturæ & discriminis, opus erit consilio Medici qui morbo ac ejus simptomatibus edoctus, illum exhibeat prout oportet, discernens morborum tempora, ac rationem subducens ejus dosis vel quantitatis sive in qualitate salis medij sive purgantis, prout exigant indicationes.

6. Dum in §. 3. *n.* 18. istius capitis ex fide nonnullorum hujus regalis Curiæ Pharmacopolarum asserimus, quod noster Sal in natura ac proprietatibus ita speciem Nitri refert, ut vix ulla inter utrumque salem intercedat distinctio, nolo ut intelligas quod Nitrum ac noster Sal una sint ac eadem entitas ac substantia; sic enim non forent similia sed identica, non esset inter ea similitudo sed iden-

identitas: intelligas ergo volo, quod noster Sal adeo similis est Nitro in sua entitate ac substantia, adeo illi in virtutibus arridet, ut unum & idem sint pro usu Medico. Et nunc addo, quod Sal noster Nitrum antecellit non tantùm in facultate purgandi, verùm temperandi, ac diluendi; Nitro namque, Geoffroyum testor, [1] aliquid ignei & caustici „in esse nonnulli suspicati sunt. Eorum suspi„cionis fundamentum fuit, prosequitur idem, „tùm sententia veterum, qui suum Nitrum „causticum dixerunt, tùm etiam nostri salis „petræ cum carbonibus deflagratio: nihil horum inest nostro Sali, qui ut ex experimentis constat, sal medius est qui base alcalina terrea tenuissima, ac principio acido, Vitrioli acido inferiore, ac penè tribus aquæ partibus componitur. Ratione horum principiorum quibus constat quamdam linguæ imprimit frigiditatem, quæ per sat longum tempus durat, & ad solem vel ignem calcinatus aquam nedùm refrigerat, verùm gelu comprimit in triplici sui ponderis proportione, uti notat solertissimus Chimicus *Boulduc* [2] in om-

(1) Geoffroy. Mater. Medic. tom. 1. cap. 2. pag. 66.
(2) Acad. Real de las Cienc. de Parìs año de 1724.

omnibus numeris absoluto examine salis, (vulgò de *Vacia Madrid*), qui in majore tantùm vel minore puritate à nostro secernitur.

7. Quamvis autem noster Sal sit substantia salina, adeò lenis est ejus stimulus, ut in unius unciæ vel etiam majori quantitate asumptus, nec irritationem producat nec calorem; quod Nitro minimè evenit; nam si ultrà drachmam (hæc est maxima dosis in qua usurpari valet) propinetur, nescio quas turbas aut irritationem concitare poterit; nullus enim Medicus (quod sciam) tam eximia dosi hucusquè propinavit. Ast dubitare minimè possum, quod si una uncia Nitri vel etiam dimidia administretur, uti absque noxa administratur Sal noster, ingentem turbationem induceret in corpore nostro. Ex his summam activitatis nostri Salis in ratione remedij salini stimulantis subducere debemus, ad illum exhibendum vel non in inflamationibus, ac ejus dosim assignandam in qualitate purgantis vel salis medij. Ubi notare lubet, quod ignis duplici modo extingui potest, vel tantum aquæ immergendo, ut hujus fluctibus obruatur, vel auferendo materiam quæ illum substentat, & utrumque noster Sal conficere valet; primum in ratione

sa-

salis medij ; secundum in ratione purgantis.

8. In secundo capite agimus de Sale nostro in ratione purgantis : & postquàm rationibus ac doctrinis clarissimi *Hoffmani* convicimus fortiora purgantia sivè quæ violentèr operantur à Medicina exulare debere, vera assignamus purgantia, inter quæ primum locum occupat noster Sal tùm suavitate ac efficacia, tùm extensione; quia nimirùm etiam illa minima corpora penetrat, quæ cetera purgantia non attingunt. Efficacia ac extensio nostri Salis in ratione purgantis non provenit, uti ad minimum in hoc capite enodatur, ab aliquo principio corrosivo acri, sed ab eo quod adeo amicus sit naturæ, adeo subtilis ac purus, ut omnibus aquæ proprietatibus induatur, à qua tàm eximiam subtilitatem nanciscitur, ut partes etiam insensibiles, à quibus penè omnium morborum origo, pertingere queat. Et ut dissidia vitentur eorum, qui alitèr sentiunt de efficacia ac extensione nostri Salis; nam in physicis cuilibet in suo sensu abundare licet, in dicto capite, §. 10. *num.* 61. libentèr conniveo in eo quod noster Sal nullo alio atributo, nulla alia excellentia potiatur, quàm natura *Salis cathartici*: hoc namque solùm, si aliundè ejus substan-

tiam ac modum operandi contemplemur, illi ſufficit, ut in claſſe purgantium cetera omnia antecellat. De cetero nihil notatu dignum in hoc capite occurrere videtur, cui in ipſamet Diſſertatione non fiat ſatis, dummodò ſine præocupatione ac bona fide legatur. Quod enim *aquam coagulatam*, *emanationem aquæ* Salem noſtrum indigitem, non videtur cenſura dignum: ſi namque *Joannes Rodulfus Glauber Adamantem gelu*, ut aſſerit *Boulduc*, ſuum admirabilem ſalem nuncupavit, & *Boerhaave acetum ſolidum* Tartarum crudum appellat, cur ergo ego Salem noſtrum *aquam coagulatam* indigitare nequibo, cum ita revera ſit? Præterquamquòd ſi aliquis ſermonem aptiorem inveniat, quo noſtri Salis geneſim, naturam, ac proprietates explanare contendat, primus ego gratias agam, ac in ſui laboris præmium munera tribuam.

In capite tertio tractamus de præferentia noſtri Salis reſpectu omnium ſalium mediorum tàm naturalium quàm artificialium. Et licet totum hoc caput novitate fulgeat, pauci namque admodum erant, qui alia cognitione pollerent Salis lacunæ de la *Higuera*, quàm quod erat ſal purgans, & ut talis benignè ac efficacitèr corpus eluebat, nihil aliud

co-

coram sistere opus est, quam sapiens consilium Domini *Boulduc*, ac utilissimam doctrinam clarissimi *Triller*.

Celeberrimus *Boulduc*, quem inter solertiores sui temporis Chimicos Litteratorum cœtus annumerat, in præclara dissertatione, quam regali Scientiarum Parisiensi Academiæ protulit, die 22 Augusti anni 1724: *de natura & proprietatibus* salis (vulgò de *Vacia Madrid*), ejusque conformitate ac identitate cum admirabili sale *Glauberi*; postquàm horum salium conformitatem ac identitatem evictissimis rationibus atque experimentis demonstravit, concludit: „Nihilominus Sal hispanus (vulgò „de *Vacia Madrid*) Glauberiano præferri debet ut „pote opus naturæ, quæ errare nequit; Glau„berianus autem est opus artis, in quam in„cidere valent quàm plures errores: Pharma„copola enim quamvis experientissimus, & „omnem operam impendat, aberrare potest „ab scopo decrepitandi ac calcinandi plus vel „minus salem marinum, & ad perpendicu„lum ducendi oleum vitrioli: quod minimè „accidit sali de *Vacia Madrid*, qui est pro„ductio naturæ, quæ à recto tramite in suis „operibus deflectere nequit." Id ipsum paulò ante asseruerat in alia dissertatione Dominus

Burlet, Regiæ Majeſtatis Philipi V. (cui terra ſit levis) Archiater, qui ſic ait: „Sal Glau- „berianus omnibus numeris abſolutus ac ſal de „*Vacia Madrid*, (quem ſalem Hiſpanum vocat) „eoſdem producunt effectus in Medicina: at „ſal Glauberianus debet eſſe omnibus nume- „ris abſolutus, quod rariſſimè evenit propter „ejus difficilem elaborationem: verum ſal Hiſ- „panus sempèr manet omnibus numeris abſolu- „tus, quia natura conſtans ac invariabilis eſt „in ſuis operibus.“

Sapientiſſimus *Daniel Wilhelmus Triller* 77 annorum ſenex, poſtquàm tam diuturnam vitam in ſtudio ac praxi Medicinæ tranſegiſſet, tamquam pro ultima voluntate in ſua eruditiſſima exercitatione de *Fallacia experimentorum chemicorum ad intimam Thermarum naturam explorandam*, non ſolum ſuæ praxeos, verùm *Joannis Bohnij*, *Hoffmani*, *Bergeri*, & aliorum Chemicorum veritatis amantium, authenticiora nobis reliquit teſtimonia, quibus proculdubiò demonſtrat totum id quod ego ex præclariſſimo *Boerhaavio* tranſcripſi hujus Diſſertationis initio *cap.* 1. §. 1. *num.* 4. quod ſcilicèt ignis, etiamſi à ſolertiſſimo Chemico tractetur, *alia corpora deſtruit*, *alia parit*: & docet quod ſecurior methodus perſcrutan-

di aquarum virtutes ac salium proprietates est ad experientiæ ac observationis *trutinam* illas discutere ex earum effectibus & qualitatibus sensibilibus, quæ profectò de natura entium nos certiores efficiunt. Hæc ego vestigia presi, ut nostrum Salem perscrutarer, ut videre licet in haccine Dissertatione *cap.* 3. §. 5. *num.* 46. His doctrinis cumulatissimè satisfit argumentis ac objectionibus, quæ in contrarium adduci possunt.

His absdubio ductus ac edoctus *Fridericus Hoffmanus*, licet in tomis quinto ac sexto & in quatuor Supplementis quàm plures afferat dissertationes, in quibus agit de Nitro, de usu interno Camphoræ, de China Chinæ, Manà, de alijsque selectissimis remedijs, nec verbum quidem prefert de eorum chemica exploratione, eo quod compertam habuit doctrinam, quam ego initio ac fine hujus Dissertationis expono ex præclarissimo *Triller*, qui ait: (1) *Tamen & illud simùl candidè fatendum, per ista ipsa ignis violentioris examina exploratoria, nec Medicos in Medicina ipsa facienda fieri feliciores aut prudentiores, nec ægrotos reddi saniores.* In hujusmodi doctrinæ testimonium Auc-

(1) Triller, ubi suprà pag. 9. §. 14.

Auctores primi subsellij, vel *Helmontius* ipse Artis Chemicæ alioquin supra fidem diligentissimus & studiosissimus cultor, veritatis tamen viribus victus idem illud negare non est ausus, quin potius rem ipsam uti nimirum est, ingenuè fassus, apertè declarat, quod *ignis cùm sit mors rerum, semina rerum si non totalitèr destruat, at saltim insignitèr transmutat, ita ut neutrum fiant.* (1)

Denique severiori judicio ac examini sapientum Medicorum hanc commito Dissertationem, ut eam uberiori luce, doctrina, ac observationibus illustrent: nam ut ego quondàm exageravi, in rebus quæ ab experientia dependent nova unoquoque die inventa succedunt. De isto Sale nullus hucusquè pertractavit, & sunt pleraque, quorum privatis proprietatibus discutiendis unius hominis vita sufficere nequeat. VALE.

IN-

(1) Triller, ubi suprà pag. 14. §. 22.

INTRODUCTIO.

NIhil majorem perniciem invehit humanæ saluti, quàm recens ac inanis modus in arte medendi. Novitas in vestium nitore ac cultu exhaurit commoda, diminuit lucra; at novus ac inanis modus in Medicina, novitas ad præcavendam & servandam sanitatem! non potest non vastare Magistratus, demoliri Regna, evertere omnia: nam omnia, ut cuilibet notum est, à nullo alio dependent quàm ab inæstimabili bono salutis. Quid igitur Medicina has sibi novitates asciscit, inania commenta fovet? Paucis abhinc annis tot ac tàm varijs vestibus se præbet indutam, ut nedùm unam atteruit, cùm jam aliâ se ostendit ornatam. In cujus rei argumentum testes appello laudanum opiatum *Helmontij*, elixirium proprietatis *Paracelsi*, aquam benedictam *Rulandi*, antihecticum *Poterij*, spiritum oleosum volatilem *Silvij*, tincturam aperitivam *Mevij*, theriacam cœlestem *Quercetani*, salem fixum viperarum *Tachenij*, salem admirabilem *Glauberi*, elixirium stomathicum *Hoffmani*, pulveres purgantes

Aylhaud, & id genus plura, quorum plausus & memoria in ovo perierunt; quia eorum fucata virtute ægroti decepti utì nugas confestìm neglexêre.

Nunc primùm prodit Medicina non vestium nitore atque pompa elegantèr ornata, sed in puris naturalibus, & nunquàm plus lætitia exultans, nunquàm majori coronata triumpho, quàm cum ab hominum sejuncta deliramentis innocentem sectatur simplicitatem Naturæ, quæ abhorret superflua & *simplicissimis*, ut ait *Hyppocrates*, *contenta est*. Ex his forsàm dignoscent plures, me verba facere de Sale nostro Hispano, (vulgò de la *Higuera*) quo cum tot ac tàm mirabiles comparantur curationes, ut vice fungendo omnium salium, quæ ad purgandum, deobstruendum, & detergendum Pharmacia profert, titulum ambit *Medicinæ universalis*. Discutiamus ejus jura & probationes, & si talia, qualia Populus clamitat, stiterint, jus suum illi tribuemus in contentione ceterorum salium cùm naturalium tùm artificialium, quæ Pharmaciæ & Medicinæ deserviunt.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De origine, natura, & proprietatibus Salis Hispani, vulgò de la Higuera.

§. I.

1. PErscrutari prima rerum principia, hoc opus, hic labor! Ab hac quàm difficili perscrutatione ortum duxêre tot tamque inter se dissidentes opiniones *Pythagoræ*, *Xenophanis*, *Platonis*, *Aristotelis*, *Anaxagoræ*, *Epicuri*, *Gassendi*, *Cartesij*, aliorumque Philosophorum tàm recentiorum quàm veterum, qui in assignandis primis rerum principijs toto cœlo distant, ita ut alij unum, alij duo, alij tria, alij multo plura statuerint rerum principia, ut videri licet apud sapientissimum *Eduardum Corsini*, Clericorum Regularium Scholarum Piarum ornamentum, & in Pisana Academia Philosophiæ Professorem, qui incomparabili qua solet elegantia & eruditione materiam agit pro dignitate. (1) At qui plus ceteris veritatis gloriantur invento, & qui veterum Philosophorum jactant dirimere dissensiones, sunt

(1) Eduard. Corsin. Institut. Philosoph. tom. 2. disp. 1. 2. 3. 4. & seq.

Chymici, quos alio nomine *Alchymistas* & *Hermeticos* vocant, qui illo veteris Philosophiæ axiomate fulti, scilicèt *unumquodque resolvitur in ea ex quibus componitur*, (1) & alia ex parte animadvertentes, quod cum vi ignis in tenuissimas particulas trium regnorum *mineralis*, *vegetalis*, & *animalis* corpora dissolvuntur, hæc eadem postremò supersint, *spiritus*, *aqua*, *oleum*, *sal*, & *terra*, quinque rerum esse principia concludunt, quæ ipsis *elementa* indigitare libuit: tria activa, videlicet *Mercurius*, *Sulphur*, & *Sal*, & duo alia passiva, *Terra* nimirùm & *Aqua*. (2)

2. Ex plurimis autem ac ferè immensis experimentis & observationibus, quibus id uberrimè confirmant Chymici, unum hîc afferemus quód & celebrius est, & rem ipsam clariùs præ ceteris & ilustriùs exponit. Si itaque vinum in alembico ponatur, & ignis admoveatur, tenacem primùm & inflammabilem liquorem emittit, quem *spiritum*, *aquam ardentem*, sivè *Mercurium* appellant; deinde aqua insipida, humor nimirùm insipidus, minimè inflammabilis, quo sal facilè solvitur, extrahitur, quem *Phlegma* vocant; cum vero *Mercurius* & *Phlegma* ex vino prodierint, in fundo alembici materia quædam crasior & viscosior

(1) Id. disput. 3. cap. 3. pag. 109.

(2) Herman. Boerhaav. Elementa Chemic. part. alteri pag. 17. & 18.

sior remanet, quæ si vehementiori igni admovetur, tunc pinguis, oleaginosa, inflammabilis, ac odora substantia erumpit, quam *Sulphuris* nomine exprimunt. Durior denique, arida, & sicca substantia, quæ ignis vi in cineres est resoluta, sal in se continet, qui facilè ab ipsa secernitur, si illi aqua fervida priùs affundatur, deindè hæc aqua chartâ bibula filtretur. Extracto denique sale, superest aridus pulvis omnem vim ignis eludens, quem *caput mortuum* vel *terram* vocant. Hæc igitur quinque substantiarum genera, quæ ex corporibus singulis quemadmodùm ex vino educuntur, prima rerum principia dicuntur à Chymicis; eo tamen discrimine ut antea vidimus, quod *terra* & *aqua* inertia solùm & passiva sint, reliqua verò tria, *sal* videlicet, *sulphur*, & *Mercurius* maximè vegeta & actuosa.

3. Hinc etiam qualitates omnes & accidentia corporum desumunt Chymici, ex *sale* nimirùm sapores; odores & colores ex *sulphure*; vim corporum dissolventem, fermentationem, mixtionem, ceteraque id genus ex *Mercurio.* Ac mirum est certè qua fiducia de principijs, elementis, ac rebus ejusmodi disserant Chymici; quàm sibi de inventæ veritatis & sapientiæ gloria blandiantur; quàm præclara ac divina propemodùm ceteris polliceantur. Hinc enim *Lapidem Philosophorum*, *quem opus magnum*,

medicinam summam appellant, proditurum existimant, quo metalla in aurum convertantur, hominis vires reparentur, universa denique rerum natura perficiatur. Inficiari quis nequit ex illustriorum Chymicorum (neque enim ex imperitioribus æstimari res debet) crucibulis & alembicis plurima in Physicam & Medicinam commoda derivasse, cum utriusque observationes Chymicorum laboribus illustratæ vel auctæ fuerint, præsertim ad perficienda metalla, & explicanda aliqua phenomena, quæ hisce principijs maximè arrident & adaptantur.

4. An autem plus commodi vel incommodi ex hac arte accesserit hominum saluti & utilitati, illis judicandum relinquo, qui acrioris ingenij penu ditati veritatem penitiùs scrutentur; satis habeo pro nunc animadvertere, quod illistriores hujus scientiæ Professores, & inter illos *Fridericus Hoffmanus*, [1] & *Hermanus Boheraave* [2] quos præ ceteris requiro, quia eorum opera omnibus sunt obvia, inficiari nequeunt;

(1) Frideric. Hoffm. Medicin. ration. tom. 4. observ. Phys. Chym. lib. 2. plurib. in locis, signantèr observat. 6. & 8.

(2) *Ipsa verò separatio partium ita producta haud docet, in corpore tales exstitisse quales jam apparent: cum enim actionibus illis quibus separatarum divulsio peracta fuit, ipsa hæc corpuscula miris queant modis mutari, falsò sæpè colligitur, composita possedisse reapse elementa hæc.* Boerhaav. ubi suprà, pag. 40.

Denique componendo rursùm, quæ de composito educta fuerant, elementa chemica, raro obtinebitur pristinum compositum. Sanguinis, vini, aliorum analysis id doceat. Idem pag. 41.

queunt ; primò : ignem sua maxima vi & violenta actione ita corpora sive mixta omnia deformare, ut partes sive substantiæ quas separat, nullatenùs extiterint in corpore tales, quales nùnc apparent. Secundò : quod componendo rursùm quæ de composito educta fuerant elementa chemica, nunquàm obtinebitur pristinum compositum, quocumque id modo fiat, etiam si acuratissimè combinentur. Ex quo luce clarius evincitur, principia quæ statuunt Chymici & tot laudibus exagerant, vera entium non esse principia, nam ut ex *Boerhaave* adduximus ignis diruit aliquas partes sivè substantias quæ in mixto præstiterant, & alias de novo generat : quod nemo Philosophorum inficiari quiverit, si fatetur ut fateri necessum est, quod *corruptio unius est generatio alterius.*

5. Et sanè quis ambigat, ignem in ligno tàm enormem inducere mutationem, ut destruat ejus essentiam, nam efficitur pulvis & cinis quod lignum prius erat? Quis ambigat, quòd habita ratione majoris aut minoris intensionis ignis, tam mirabilis oriatur entium varietas, ut si lignum occluso vase distilletur, nec cineres dabit nec fuliginem; atque ex ipsa fuligine diversi spiritus, oleum, & sal extrahentur, quàm si aperto vase fiat experimentum? Quis ambigat ex cineribus vitrum vi ignis confici,

cum

cum tamen eadem caloris vi in cineres vitrum abire non possit? Hæc autem, ceteraque id genus sexcenta apertè demonstrant, non solùm dividi ac in particulas tenuissimas resolvi corpora vi ignis, sed etiam acritèr adeo & intrinsecè mixceri & perturbari, ut nova quoque entia ex illis efformentur, & per consequens novæ qualitates: ac proinde elementa quæ Chymici excogitarunt nec esse, neque vera posse esse principia; quia non præexistebant in mixto sed de novo prodierunt, ut videre licet in corruptionibus & generationibus, quæ in amenissima naturæ sylva quotidiè oculis obversantur.

6. Neque sunt prima principia: nam prima principia, ut communis fert Philosophorum opinio, sunt quæ *nec fiunt ex aliјs, neque ex alterutris, sed omnia fiunt ex ipsis*: & hæc principia quæ ab Alchymistis excogitantur ut prima, ex particulis subtilioribus tenuissimisque corpusculis componuntur, ut videre est in distilationibus. Sic spiritus ipse sivè *Mercurius* acriori vi flammæ distillatus in *Salem*, & *Aquam* dissolvitur; oleosus aut sulphureus liquor in *Terram*, *Salem* & *Aquam*; Sal denique in *Aquam* & *Terram*; ita ut in Chymicis elementis quatuor vulgarium elementorum particulæ reperiantur, quarum quidem terrestres & aqueæ subsideant & sensibiles sint; aereæ vero & igneæ, ut pote subtiliores, inter dis-

ti-

tillationem paullatim avolent. At quandò non teneret hæc ratio, quam nos docet experientia, certè componerentur ex *Materia* & *Forma*, quæ sunt principia vulgaria, quæ ex *Aristotele* didicimus; aut ex *Materia*, *Figura*, *Magnitudine*, & *Pondere*, quæ sunt elementa *Epicuri*. Sed quocumquè opinio se vertat, luculentèr & apriori concludimus, ea non esse nec posse prima principia, simulàc componuntur ex alijs.

7. His presus angustijs, & supponendo plurimum negotij ac laboris facessere, prima entium designare principia; nulla etenìm opinio est vetus aut nova, quæ argumentis in contrarium faciat satis; mihi visum est nulla alia in hac Dissertatione adoptare principia, quàm observationes & experimenta, nec ut verum accipere nisi quod ex experimentis & observationibus concludatur. Hæc inter alias est solidissima ac securissima regula, quam nobis ostendit clarissimus *Ludovicus Philipus Chummigius* qui docet, „quod ut in Physica vero progrediamur tramite, abstinendum est ab hypothesibus fictitijs atque precarijs, & principiorum loco utendum est observationibus & experimentis, „nec admitendum nisi quod ex istis concluditur.“ (1)

Hæc

(1) Ludovic. Philip. Chummigius. Institut. Philosophiæ Wolfian. tom. 1. part. 1. cap. 1. pag. 207.

Hæc premens vestigia, quæ uberiori luce effectuum naturalium rationes & causas illustrant, nostri Salis naturam & proprietates exponam, abstinendo pro nunc ab illis ideis abstractis & metaphisicis, quibus tantoperè occupantur Academiæ.

§. II.

8. Adeo mira & varia est multiplicitas salium, ac est diversitas entium: unumquodque etenim ens suo donatur proprio & peculiari sale ab aliorum salibus specie distincto. Eapropter valdè diversus est sal *Saturni* à sale *absyntij*, & hic ab eo qui ex *viperarum* substantia educitur. Exemplum adduxi in tribus Regnis *minerali*, *vegetali*, & *animali*, quoniam quantum ad hoc in nullo differunt. At inter tot eaque diversissima salium genera, quæ vel natura spontè profert, vel arte ex omni mixto eliciunt Chymici, nulla magis animum pulsant, quàm *acida*, *alcalina*, *&* *neutra*, (1) quia cetera omnia cujuscumque indolis & naturæ sint, *volatilia*, *fixa*, *acria*, *amaricantia*, *oleosa*, *dulcia*, vel ab aliquo ex illis tribus generibus partem accipiunt, vel certè per

(1) *Auctores Medici utuntur ac voce* Sal *in genere neutro, maximè in plurali. Nos illis morem gerentes, in eodem genere sæpius usurpabimus.*

per se nullius penè usus sunt in Medicina præter Saccharum, quod præ sua suavitate ac dulcedine alijs palmam præripere contendit. Quid autem per salia *acida*, *alcalina*, & *neutra* intellectum velimus, profectò non ignorant Medici qui quotidiè illa præ manibus habent. At cum sapientibus & insipientibus debitores simus, & non omnes Chemiam aut Pharmaciam calleant, nostrum est quid per talia salia intelligamus paulò clariùs explanare, ut unusquisque salem de quo agimus perspicuè deprehendat.

9. *Salia* igitur *acida* vocantur illa, quæ præter saporem acidum quem gustui imprimunt, cum aliquo corpore aut sale alcalino mixta statìm fermentationem ineunt, ut inter mineralia sal vitrioli, & cetera alia quæ naturâ vel arte ex quàm plurimis fontibus sivè aquis acidis emergunt, exemp. grat. *Portus-plani*, & id genus alia, quæ si alicui terræ vel substantiæ alcalinæ, ut cretæ, corallio præparato, putaminibus ovorum, aut conchis ustis commisceantur, confestìm fermentationem instituunt. *Alcalina* è contra vocantur, quæ acidis permixta eumdem producunt effectum, ut terræ prædictæ, & aliæ ejusdem indolis ac naturæ, ut calx, ferrum, lac terræ, &c. quæ si aceto, succo limonum, vel oleo vitrioli mixceantur, fervorem edunt quàm maximum. Ubi animadvertere licet, quòd pro majori aut minori

 effi-

efficacia principiorum major aut minor exurgit fermentatio; quapropter omnis sal sive substantia alcalina minorem fermentationem init cum aceto vel succo limonum, quàm cum oleo vitrioli, quod ut pote acidum tàm penetrans & acerrimum, nedùm cum salibus alcalinis effervescit, verùm cum medijs sivè neutris, ut sale communi & nitro, quibus si adjugatur non modo ingentem ebullitionem, sed & copiosum ac subtilissimum, ex sale communi album, ex nitro rubicundum vaporem excitat: quale tamen à leviori acido, ut est spiritus salis, vitrioli, acetum, succus limonum, vix unquàm facilè evenit. Secundò animadvertere oportet, quod omne acidum coagulat, omne alcali dissolvit, & si hæc ad extrema ducantur, quamplurima humanæ saluti incommoda affere possunt.

8. *Salia neutra* sivè *media* nobis vocantur quæ ex sale alcali aut terra alcalina & acido sunt ita composita, ut nullum ex hisce habeat prædominium; & quemadmodùm hæc ipsa admodùm excessivo sapore & virtute prædita ad corrodentem naturam sæpè accedunt; ita proportione convenienti invicèm mixta per mutuam allisionem & conflictum ita attemperantur, ut tùm ratione saporis, tùm aliarum facultatum & virium medius, innoxius, & naturæ apprimè amicus sal indè emergat.

Sunt igitur salia *neutra* & perfectè *media* ea quæ nec ad acidi nec ad alcalini liquoris cujuscumque mixcellam ampliùs effervescunt, sed quæ perfectè saturata sunt. Quo nomine & virtute maximè eminent inter salia nativa sal communis & nitrum, item aphronitrum, & Sal noster: ex arte paratis arcanum duplicatum, nitrum antimoniatum, sal Glauberianus, tartarus vitriolatus, & id genus alia quæ nec à quovis affuso acido fermentantur, nec à quovis alcalino effervescunt.

11. Quàm mirabiles ac penè divinæ virtutes insint his salibus medijs magnificè extollunt Auctores qui de illis disseruêre, & planè evincitur ex principijs ex quibus componuntur, eorum modo operandi, & quamplurimis morbis quibus medentur. Principia sunt *acidum* & *alcali*; & pro ratione mixtionis emergunt majoris aut minoris efficaciæ. Ex clarissimo *Hoffman* didicimus, (1) quod nitrum est sal medius (longè licet inferior nostro Sale, ut insequentibus ostendemus) *sique ullum remedium medicinæ universalis titulum meretur, & aquæ communi & nitro eum tribui posse non sine ratione judicare*: ita ut sapientissimus *Verulamius* in *historia vitæ & mortis* hisce salibus virtutem vitam prorogandi, si sæ-

 pius

(1) Hoffman. Medicin. ration. tom. 6. pag. 19. n. 16.

piùs ad scrupulum pro dosi usurpentur, non dubitaverit assignare.[1]

12. Modus operandi horum salium (in quo noster Sal cetera omnia magnoperè antecellit) est temperando, corrigendo, laxando, deobstruendo, purgando, movendo demùm & promovendo omnes humani corporis excretiones per alvum, urinam, & transpirationem, ita ut nulla sit in corpore infirmitas, quæ hisce salibus, & maximè nostro, curari nequeat. Ex his facilè deducuntur morbi, queis medetur noster Sal. Nam si alvus solvenda, si urina movenda, si transpiratio liberior efficienda, certè id optimè per Salem nostrum fieri posse experientia confirmat. Porrò si causticam & virulentam humorum biliosorum acrimoniam, quæ choleræ morbi, diarrhœæ, dysenteriæ, immodicæ vomitionis & nauseæ, ac febrium biliosarum, ardentium etiam, & gravissimæ ventriculi & intestinorum inflammationis procreatrix est, temperare ac demulcere velimus, nihil sanè in tota rerum natura Sale nostro præsentius & efficacius depræhendimus. Si inflammatio partes internas infestat, adeo ut incendio quasi torreantur, eoque substantificum humidum cum viribus absumatur, atque inexhausta sitis fiat, assidua-

(1) **Verulam: apud Hoffman, ibidem.**

duaque vigilia, nostrum Salem alijs remedijs sociatum palmam præripere non dubitamus. Si humorum crasities, quæ obstructionibus vasorum & concretionibus polyposis mirè velificatur, dissolvenda est, profectò in nostro Sale maxima qua pollet virtute dissolvendi ejusmodi vis residet exoptatissima; & quia serum & lympham liquandi tali guadet virtute, exsiccatas partes humectat, duras & constrictas emollit.

§. III.

13. Has easdem virtutes adscribunt communitèr nitro Doctores Medici; at istud cum non polleat ut Sal noster facultate purgandi, nec illi contendere quit in virtute. Nihilominùs cum peritiores hujus regalis Curiæ Matritensis Pharmacopolæ (1) nostrum Salem in examen revocaverint, adeo similem nitro in natura & qualitatibus invenerunt, ut nulla vel penè nulla inter utrumque salem intersit distinctio, moneamus necesse est, quòd in omnibus illis circunstantijs in quibus juxta exigentiam morbi nitro opus est, noster Sal nitri vicem gerere possit, cum necessaria cautione illum usurpandi in minori dosi, præcipuè si purgandi non urget neces-

si-

(1) Pharmacopola D. Joannes Bote inter alios hujus regalis Curiæ in analysi nostri Salis de Superiorum mandato peracta, eum simillimum esse nitro observavit. Constat ex actis & testimonio, quæ in regali salium Quæstorio asservantur.

sitas, sed temperandi, corrigendi, ac dissolvendi. Id propter si in prædictis circunstantijs propinatur nitrum à drachm. semisi ad unam, propinando nostrum Salem ab uno ad duos scrupulos, medicamen æquale nitro tàm in usu interno quàm externo absdubio nanciscemur.

14. Has easdem proprietates sali *Ebsonensi* inesse asserit doctissimus *Nehemias Grew*, qui in suo de sale Anglicano tractatu rem luculentèr expressit dicens: „Hoc sal nunquàm sua virtute ca„thartica destituitur; in morbis permultis graviori„bus efficacissimum remedium præbere dicitur; „nec unquàm aliquid mali, si appositè præscriba„tur, procreat. Purgantium ferè omnium lenissi„mum existit, humores non exagitat, nunquàm ægri„tudines, deliquia, & tormina excitat. Laudatur „hujus salis usus in morbis ventriculi, cardialgia, im„modicis vomitionibus, & calida affectione hypo„chondriaca. Commendatur etiam in intestinorum „& imi ventris morbis, in colico & nephritico „dolore, vermibus, urinæ ardore & supressione, „ictero, in passione hysterica. Præterea capitis affec„tibus egregiè opitulatur, atque in cephalalgijs, „vertigine, delirijs, oculorum inflammationibus cum „summo fructu porrigitur. Propinatur in aqua fon„tana, stillatitia, aliave purissima, decocto hordei,

„ave-

„ avenæ , aut ſero lactis. Hucusquè *Grew.* [1]

15 Hisce ac pluribus alijs pollet virtutibus noſter Sal hiſpanus ut ſuprà diximus, & in poſterum uberiùs demonſtrabitur. Sed quid mirum quod in facultatibus mutuò conſentiant quæ in ratione ſalium minimè diſtant? Adeo igitur ſimilis eſt *Ebſonenſi* (vulgò *Anglicano*), Sal noſter hiſpanus, ut in figura, colore, ſapore, & effectibus nullam inter utrumque ſalem diſtinctionem inveniet Chymicus etiam peritiſſimus. Cum igitur de identitate ſivè diſtinctione entium non aliundè judicare poſſimus, quàm ex eorum ſenſibilibus qualitatibus, ſi Sal noſter eiſdem pollet qualitatibus ac Anglicanus, ejuſdem eſſe naturæ minimè dubitamus. Qualitates ſalis Anglicani, ut omnibus notum eſt Medicis & non Medicis, ſunt particulæ hiſtriatæ, color diaphanus (licet aeri & ſoli expoſitus reddatur albus), ſapor amaricans & ſalſus (quamvis prius ſentiatur amaricans quàm ſalſus), vis ſive facultas purgandi aut diſſolvendi ſervata ratione doſis qua propinatur: hæ ipſiſſimæ ſunt noſtri Salis qualitates: nulla ergo eſt inter utrumque diſtinctio.

16 Nihilominùs Sal noſter *Ebſonenſi* preferri debet pluribus & potentiſſimis rationibus, quæ cui-

li-

(1) Grew apud Hoffman, tom. 6. Diſſertat. de ſalium mediorum virtut. pag. 21. n. 28.

libet etiam modici consilij sunt obviæ. Prima: quia noster est, & intra nostra confinia nascitur, & quàm maximum profectò foret deliramentum peregrè proficisci ad quærendum quod præ manibus habemus. Ex quo plures aliæ emergunt rationes, quales sunt quod plus vili venditur pretio; Salis etenim nostri libra drachmâ venditur, Anglicani vero libra tribus drachmis adminùs venditatur: quod noster Sal est genuinus, non corruptus, nec adulteratus, & hoc est quod potissimùm in quolibet medicamento desideratur, ut exoptatum assequamur effectum. Quot è vita decesserùnt, quot Parcarum victimæ stitêre ob medicamen adulteratum assumptum? Nullus est qui ambigat, quod in Tabernis aromaticis, & Pharmacopolijs pro sale vero *Ebsonensi* sal, vulgò de *Vacia Madrid*, venundatur cum magno salutis humanæ præjuditio, eo quod sal iste ad naturam maximè corrodentem accedat. Complures etiam sciunt, quod Exteri ingentem salis copiam ex lacu de la *Higuera* exportant, (1) & non sanè ad condienda obsonia, nam ad id muneris cumulatissimas habent in suis regionibus salifodinas. Exportant ergò ad revehundum illum ad nos novo titulo, ac venditandum ma-

jo-

(1) *Tredecim annorum spatio* 32724. *viginti quinque librarum pondera ab Exteris exportata constat ex tabulis publicis regalis salifodinarum Quæstorij.*

jori pretio. Hæc conjectura (quæ apud plures audit evidentia) tantò majus habet fundamentum, quantò ut ex *Hoffmano* (1) & alijs erudimur, fontem *Ebsonensem* ex quo Anglici suum eliciunt salem, exigua admodùm quantitate constare, & tamen ad omnes Europæ regiones, præcipuè Italiæ & Germaniæ in magna copia advehi conspicimus. Plures alias prætermitto rationes, quia non omnibus datum est adire Corynthum, etiamsi non in aliud quàm in bonum communitatis intendant. Hæc omnia incommoda vitanda non dubito, si in regali salifodinarum Quæstorio comparetur, ubi sal verus & innocens venditatur.

§. IV.

17. Diximus jam innumerabilis multitudinis salium, quæ ars & natura proferunt, frequentiorem usum in Medicina esse salium *acidorum*, *alcalinorum*, & *neutrorum*; nam quandò opus habent Medici moderandi impetum humorum, temperandi æstus, ac corrigendi dissolutionem, utuntur *acidis*, ut succo acetosæ, limonum, spiritu nitri, & vitrioli, & alijs: quandò urget necessitas resolvendi sanguinis & lymphæ concretiones, ac obtundendi eorum acrimoniam & aciditatem, *alcalina* usurpant, ut cretam,

(1) Hoffman, ubi proximè, n. 47.

terram sigillatam, oculos cancrorum, matrem perlarum, &c. at quandò utraque confluit indicatio (quod multotiès evenit) salia adhibent *media*, quæ tutiùs ac jucundiùs operantur: cùm enim principia salium acidorum & alcalinorum tàm dulci & temperato nexu in salibus medijs copulentur, in aliquod extremorum nimiùm dissolvendi, aut nimiùm coagulandi abire non possunt.

18. Omnia hucusquè memorata salia aut sunt *naturalia* sive *nativa*, aut *factitia* sive *artificialia*. *Naturalia* sunt quæ natura profert, & in sinu terræ generantur, aut ex aquis & fontibus educuntur. Quæ ex terra eliciuntur *fossilia*; quæ ex aquis, *salia* sinè distinctione vocantur. Adeò ingens salis fossilis, (qui *sal gemma* appellari solet, cùm ex fodinis ipsis eductus instar gemmæ pelluceat) in aliquibus regionibus, ut in Comitatu Tirolensi, Transilvania, insula Ormuz, & locis mari Caspio finitimis nascitur copia, ut parietes ipsi domorum, *Plinium* testor, [1] sale construantur. Idem evenit Cardonæ in Catalaunia, ubi laria ex sale, qui in montes exurgit, in tali regione conficiuntur. *Salia artificialia* dicuntur ea quæ efingit ars, ut Chemia & Pharmacia, quæ mediante actione ignis tartarum generant

(1) Plinius apud Corsini tom. 3. disput. 4. cap. 7. pag. 446.

rant vitriolatum, arcanum duplicatum *Mynsicht*, salem admirabilem *Glauber*, ac plura alia ejusdem indolis & naturæ, quibus affluunt Pharmacopeæ. Omnia ista salia iisdem constant principijs, licèt diverso modo combinatis: quamvìs enim omnia componantur ex terra sive principio alcalino aliquo acido saturato, tot & tàm variæ existunt eorum combinationes, quot sunt horum salium differentiæ, ut videre est in sale communi, nitro, aphronitro, & in nostro Sale, in quibus quàm maxima interest diversitas in figura, sapore, odore, & effectibus, & id non alia ex causa quàm quod licèt eisdem componantur principijs, longè alitèr combinantur. In nitro, ex. grat. principium acidum eminet licèt paululùm alcalino; in nostro autem Sale alcalinum eminet acido, ut in calcinatione uberiùs evincitur. Prætereà alijs salibus admiscetur sulphur, alijs aliqua substantia metallica aut semimetallica, ex quo tot & tàm variæ emergunt combinationes, ut nimìs operosum foret eas enarrare.

19. Ex hac ipsa diversa combinatione principiorum mirabilis exoritur varietas & totius universi pulchritudo. Quanta verò sit, quis paribus unquàm verbis exponere vel animo complecti possit? Unumquodque ens, ut nos docet Chemia, componitur *ex terra*, *sulphure*, *sale*, *aqua*, & *aëre*; & sola di-

simili combinatione principiorum tàm admirabilis prorsùs resultat varietas entium, ut in tribus regnis *animali*, *vegetali* & *minerali* animo nobis & oculis obversantur. Id est loquendo in communi, & progrediendo à genere supremo usque ad infimam speciem. Sed quod satis mirari non possumus est quòd intra unam eamdemque speciem tàm mirabilis conspiciatur varietas sola intensione aut remissione quantitatis vel qualitatis alicujus ex illis principijs, ut contingit in salibus, in queis si principium acidum eminet alcalino vel è contrà, statìm emergit ens toto cœlo diversum. Sed ubi adhùc præstantior apparet hæc spectanda varietas & distinctio est in compositis, (venia sit voci) *integrantibus*, exemp. grat. in ore vel facie hominum, quæ cum eisdem componantur partibus, tam varias ac inter se dissimiles sortiuntur figuras, ut unus alterius speciem nullatenùs referat, tota hac oriente diversitate ex dissimili tantùm partium collocatione.

20. Sed prætermittendo pro nunc, ut ad Physicæ speculationem pertinentia tot innumera entium creatorum genera, quæ aspectabilem universi totius compagem exornant: *Salia naturalia* sive *nativa* ex terra educuntur vel aquis. Utraque eisdem principijs constant, & sunt ejusdem indolis ac naturæ: at quæ eliciuntur ex aqua puriora existunt, & inter

ter ea etiam nunc aliqualis inest distinctio præ majori aut minori puritate aquæ, ac modo quo generantur. Id propter salia quæ ex fonte, lacu, sive puteo educuntur puriora sunt quàm quæ ex aqua maris generantur; quæ ex aquis eliciuntur puriora abs dubio quàm quæ ex terra procreantur, ut ratio naturalis dictitat; quia quò purius est principium, eò purius evadet principiatum seu compositum. Quantùm igitur terram excellit aqua in puritate & fluiditate tantùm hæccine salia inter se dissident: non quia sal ex aqua eductus omni prorsùs terra denudatus existat, nam terra ut principium componens nullo modo sali deesse potest, ut uberiùs evincitur calcinatione, sed quia præ majori ejus fluiditate plures olei partes includit, ac per consequens subtiliores.

21. Hæc omnia desumpsimus ex *Boerhaave*, qui hoc solido ac quasi naturali experimento confirmat, (1) „scilicèt, sales nativi omnes igne aper„to valdè exsiccati, contusi, aëri expositi in pa„tina vitrea, ibi ab aqua aëris soluti in liquorem, „terram ponunt de sale priùs non apparentem. Li„quor tùm salinus hic terra hac purus, si ite„rum exsiccatur magno puroque igne; deinde tu-

„sus

(1) Boerhaave element. chemic. tom. 1. part. alter. pag. 257.

„ sus sal rursùm in aëre solvitur, ponet denuò foe„ces terrestres; dumque hæc solutio & inspissa„tio reciprocatur, omni terra genita sempèr, qua„libet vice ablata, tandèm incredibilis copia terræ „colligitur; ceterùm nihil apparet remanere: sed „alterum illud principium, quod priùs huic ter„ræ adherens cum illo salem effecerat, crebra hac „actione aquæ aëreæ ita fuit solutum à sua terra „priùs aduriata, ut seorsùm jam existens, penitùs fiat „volatile in auras abeuns, neque ullo dein sensum „adjumento unquàm iterùm percipiendum.“ Hæccine *Boerhaave.* Ex hoc processu luculentèr experiri quis poterit, quòd major vel minor existet quantitas particularum terrestrium quæ à sale relinquuntur, habita ratione majoris vel minoris puritatis principiorum ex quibus componatur, sivè materiæ ex qua educitur.

22. Noster ergò Sal vulgò de la *Higuera* educitur & formatur ex aqua, non ut elicitur sal communis, sed modo per quàm mirabili & peculiari, qui quoniam opus naturæ est, quin ars aliquid in eum conferat, scitu dignissimum arbitramur. Lacuna habet in fundo plurimum salis, vel potiùs glutinis viscosi salsi, quod incolæ illius loci *Tejo* indigitant. Hic sal aliquantùm impurus est, & continet nonnullas partes gypseas ac metallicas: dissolu-

tus

tus enim post calcinationem in aqua naturali relinquit in fundo aliquid gypsi, & supernatat pelicula quædam nigricans ac valdè subtilis, quæ abs dubio à ferro provenit, vel aliquo alio metallo. At non est hic sal quem proponimus, nec qui Populo venditatur: ex isto quippè sale nisi priùs à recrementitijs particulis quas continet purgetur, parum emolumenti nobis accederet. Sal igitur, quem proponimus, siccine efficitur sive generatur. Cùm igitur Sol mensi Aprili vel Majo lacunæ aquam calefacere incipit, perturbato quodam motu qui calorem ipsum necessariò consequitur, ejusdem aquæ partes exagitat, commovet, ac impellit; undè subtiliores à crasioribus, leviores à gravioribus, quibus implexæ fuerant, secernuntur. Quia verò minimæ hujus aquæ salsæ particulæ subtilioribus aëris particulis crassiores sunt, in aquæ superficie coalescunt ad similitudinem pellucidissimi crystalli, & hic est Sal in quæstione. Simplicissimus iste modus quo producitur præfatus Sal, ansam præbet quàm plurimis & maximi momenti reflexionibus de hujusce Salis puritate, ejusdem cum nitro analogia, ac præcellentia in re medica non solùm respectu salium artificialium verùm etiam naturalium, quæ in nostram notionem pervenerunt.

CAPUT SECUNDUM.

De præcellentia Salis vulgò de la Higuera *in ratione purgantis respectu omnium purgantium.*

§. I.

1. NUllus est qui ambigat Salem vulgò de la *Higuera* facultatem habere purgandi; alij quia audierunt, alij quia in semetipsis experti sunt. Sed quomodo id faciat, ac quousquè ejus protendatur activitas, superet necne spheram purgantium sic vel alitèr propinatus, non omnes cognoscere possunt, cùm eorum muneris non sit. Etiam nonnullos Medicorum, & quidem primi ordinis, ejus usum exploratum non habere probè scio: & fortassè quia vili emitur, inter eorum pharmaca suas partes agere hunc Salem abs dubio rennuent: namque errore decepti id maximè jactant, quòd medicamina à majori pretio suam comparent operandi virtutem ac efficaciam, cum è contrà pluris æstimanda foret medicina quæ abundat & vili prostat; sic namque egentissimus quisque eam nanciscetur, & nosocomiorum decrescent sumptus.

2. Sed permittendo pro nunc, quod unusquisque

ab

abundet in suo sensu, „purgantium nomine nihil „aliud intelligimus quàm illa medicamenta, quæ „vivo corpori vel externè vel internè applicata ma„teriam morbosam per intestinum rectum evacuant. „Cùm autem id tam multiplici modo effici possit, „ut irritando, stimulando, laxando, &c. varia sunt „purgantium genera quibus utitur ac recepta habet „in praxi Medicina, ut videre licet apud celeber„rimum *Boerhaave*: qui materiam agit pro dignitate.“ (1) Respectu etiam humorum quos purgant sortiuntur æquè diversa nomina purgantia. Atque sic *Eccoprotica* dicuntur illa, quæ solummodò fæces alvi, hoc est, reliquias ingestorum stomachi & intestinorum naturales expellunt: *Phlegmagoga*, quæ pituitam per alvum educunt: *Cholagoga* vocantur quæ bilem ex hepate in intestina deferunt & indè evacuant: *Hydragoga*, quæ non tantùm bilem, sed & mucum intestinalem deponunt: *Melanagoga* deniquè, quæ materiam sive bilem atram per secessum propellunt.

3. Adduci sanè nequeo ut existimem, sapientissimos viros, quos Magistros veneramur in arte medendi, & meritò absdubio, ut *Hypocratem*, *Galenum*, *Avicennam*, *Boerhaavium*, *Hoffmanum*, & alios qui in suis operibus hisce purgantium classibus nos

(1) Boerhaav. tractat. de Virib. Medicament. part. 3. cl. 1. de Purgantib. per alvum cap. 3. & seq.

erudierunt, id ipsum credidisse quod nobis dictitarunt; nam si rem agamus ingenuo veritatis amore, nullam rationem aut experientiam inveniemus, quibus tales purgantium classes nec superficie tenus evinci possunt. Et certè quis unquàm Jalappam (hæc est unum ex efficacioribus *Phlegmagogis*) tali discretione exornavit, ut disjungendo pituitam à reliquis humoribus, illam tantùm evacuet? Quis Rhabarbarum (hoc est *Cholagogum*) tali peritia in purgando dotavit, ut bilem tantummodò expungat? Et sic de ceteris purgantibus, quibus adscribunt Medici specificam atque peculiarem virtutem hunc vel alium determinatum humorem evacuandi: cùm purgantia omnia, maximè quæ à Medicis appellantur *drastica*, sint everticulum quoddam, quod eodem jure omnes humores censet, & cum electione non polleat evacuandi tantùm humorem morbosum, principaliùs agit in succum nutricium.

4. Hac ductus ratione multis ab hinc annis declamitabam ego in meo opusculo sub titulo; *Promotor salutis hominum*, [1] ab arte medendi proscribenda esse purgantia, excipiendo dumtaxàt ea quæ usus & experientia comprobaverant, qualia sunt quæ juxta genuinum ac rigidum sensum hujus vocis pur-

(1) In opusc. *vulgò el Promotor de la salud de los hombres*, art. 5. pag. 60. & seq.

purgare vera & propria purgandi virtute donantur, id est, separandi purum ab impuro, noxium à laudabili, sanos deniquè à vitiosis humoribus, & ducendo ea quò natura vergit, evacuandi per loca conferentia. Id enim est quod in vera Medicina purgare dicitur; cetera diruere ac irritare.

5. Hæc est *Hypocratis* doctrina quam millies ingeminat, quia hæc est archetypus ac norma, qua salutares vel pernitiosos purgantium effectus obsignare debemus. Ait enim *Sect.* 1. *aphor.* 2. „In perturbationibus alvi, & vomitibus spontè contingentibus, „si quidèm qualia purgari oportet, purgentur, con- „fert & levitèr ferunt: sin minus, vice versa. Sic & „vasorum vacuatio, si quidèm talis fiat qualis fieri „debet, confert, & benè tolerant; sin minus, contrà." Idem repetit *Sect.* 4. *aphor.* 2. *&* 3. Quod idem est ac si diceret: Si mediá actione purgantis impurum separetur à puro, & per congruam regionem educatur, fungetur purgans munere suo; sin minus erit venenum. Et in *aphor.* 21. *ejusdem Sectionis*: „Quæ ducere oportet quò maximè vergunt, eò du- „cere oportet per convenientes locos; & *in* 23. Quæ „prodeunt non multitudine æstimari oportet, sed „quandiù prodeant, qualia oportet, & facilè eger „ferat: quasi diceret: " Non debemus extollere operationen purgantis, quia ut opinatur vulgus, ramenta

 us-

usque intestinorum contorquet, sed quoniam sejungendo noxium ab utili, absque aliqua vexatione ac irritatione noxium tantummodò vacuat. Quaproptèr scire monuit idem præclarissimus Author *Sect.* 2. *aphor.* 26. „Quod sana habentes corpora, dum me„dicamentis purgantur, citò exolvuntur. Et *in aph.* 27. „Qui benè habent corpore, eos operosum est me„dicamentis purgari.“ Ac demùm *tom.* 2. *editionis Vander Linden*, quàm nocturna versavi manu, versavi diurna, *de morb. lib.* 4. *n.* 31. inquit: „Quæcum„que medicamenta purgatoria sunt aut supernè, aut „infernè, aut etiam utrumque præstant, ea hæc fa„ciunt; omnia valdè urunt, & fortia quidem ex „ipsis si partem aliquam teneram corporis continge„rint, eam exulcerant; mitiora verò turbulentum „corporis motum faciunt, quamcumque tandèm par„tem occupârint. Si verò aliquod ex his medicamen„tis in pulmonem pervenerit, videtur mihi magnum „aliquod malum inducturum esse.

6. Cum igitur tàm dilucidè seipsum explicet *Hypocrates*, quis unquàm boni judicij Medicus ambigere poterit, quod purgare nihil aliud sit quàm purificare, sive separare noxium ac excrementitium quod humani corporis ordinatos motus & actiones turbat, conservando humores laudabiles à quibus corpus nutritur, sustinetur, ac viget? Et si quis ad-

hùc

hùc id in dubium revocare contendat, audiat clariſſimum *Boerhaavium*, qui diſſertis verbis omnia comprehendit: „Purgantia per alvum ſunt illa medicamenta quæ vivo corpori vel externè vel internè applicata materiem morboſam per inteſtinum rectum evacuant. Medici ab omni tempore ea vocavêre purgantia, quæ per inteſtinum ultimum materiam impuram deturbant; per impurum autem intelligebant quidquid inimicum erat naturæ, & per naturam omne quod ad vitam & ſanitatem eſt neceſſarium, id eſt, functiones vitales, naturales, & animales benè conſtitutas; ergo materies impura iis erat quidquid haſce functiones lædit. (1) Idem aſſerit ſapientiſſimus *Hoffmanus* pluribus in locis, ſed precipuè *tom. 6.* ubi cumulatiſſimè agens de purgantibus, inviĉtiſſima ac eficaciſſima adducit argumenta ad proſcribenda etiam quæ leviora æſtimantur, ex Medicina.“ (2)

7. Ergo purgantia à Medicis intelligi debent illa medicamenta quæ facultate ac virtute gaudent ſegregandi impurum à puro, noxium ab utili, & ducendi quo natura vergit per loca conferentia materiam impuram ac morboſam, imperturbato ſolidorum tono, liquidorum curſu, & abſque uſtione ac rup-

(1) Boerhaav. de Purgant. per alvum cap. 3. pag. 232.
(2) Hoffm. tom. 6. Diſſert. 5. pag. 285. & ſeq.

ruptione vasorum. Id efficiunt amabo medicamina, quæ à Medicis appellantur purgantia, ac sunt in eorum praxi frequentissima? Efficiunt id quæso Colocynthidæ, Euphorbium, Elaterium, Scammonium, Extractum Catholicum, succus ac cortex Esulæ, Titimali, Ellebori, resina Jalappæ, Turbith, Guttagamba & id genus plura ejusdem indolis ac naturæ, quibus utitur vel potiùs abutitur Medicina? Neutiquàm: purgans namque est magni nominis umbra ac grati sonitus, sed adeò infidum & hypocrita, ut specie salutis diruat sanitatem, inducat mortem. Memorata purgantia ac penè omnia, quæ in usu & præ manibus habemus, magna scatent quantitate veneni, ut invictissimè demonstrat *Helmontius*. Id propter veteres Galenistæ dicebant confugiendum esse ad aram post administrationem purgantis, usquedùm Medicus certus fieret de prospero aut lugubri eventu; timendus namque maximè erat eventus lugubris, propinato veneno pro purganti.

8. Probat autem venenum purgantium *Helmontius* ex eo quod omnes proprietates veneni atque attributa purgantibus congruant; si namque venena sæva tormina causant, violentissimos tumores, inflammationes, spasmos &c. Id ipsum efficiunt purgantia, ut apertè docet *Galenus*. (1) Præterea *Galenus* magnoperè effert

(1) Galen. lib. de Venen. section. adversus Erasistratum.

effert Theriacam ut partem præcipuam Medicinæ; & assignans caracteres quibus constare debet, ut sit omnibus numeris absoluta, asserit; quod illa erit secundum artem cumulatissimè elaborata, quæ cujusvis purgantis operationem impediat: ergo secundum *Galenum* operatio purgantis est venenosa, siquidèm Theriacâ corrigitur, & principalius Theriacæ munus est corrigere ac dissipare venenum.

9. At quoniam plures celeberrimi *Joannis Baptistæ Van-Helmont* forum ejurabunt, ut suspecti auctoris in lite purgantium, adversus quæ acerrimè declamavit, loquantur *Hoffmanus & Boerhaavius*, quos inter præstantiores Medicos jure optimo annumeramus. *Fridericus Hoffmanus* omnes nervos contendens, ut à praxi medica purgantia fortiora proscribat, plures easque efficacissimas adducit rationes. Prima est; quod memorata purgantia aliquo scatent veneno, & in hunc modum ratiocinatur. „Medicis hoc „audit venenum, quod brevi tempore, adeoque ce„lerrimè in exili dosi æconomiam motuum vita„lium in corpore nostro turbare & pervertere aptum „est. Quod attinet ad materiale principium vene„norum, hoc ipsum maximè consistit in eo, ut „sit indolis valdè activæ, subtilis, penetrantis, adeo„que maximam potentiam & efficaciam motus in se „contineat; deindè ut sit sal causticum, quod in-

„ti-

„timè in poros etiam angustissimos membranacearum „& nervosarum partium sese insinuat, & vehemen„ti irritatione, istius principij quod regit et movet „machinam nostram, nimias & inordinatas motio„nes provocat, quibus postmodùm totus motuum na„turalium ordo, & inde dependens usus & functio „partium conturbatur & evertitur. Etenim si ad „examinis incudem revocare velimus venenorum, ex „quibus partibus constent, mixtionem ac crasim, de„prehendimus eorum operationem à tenui & pene„tranti sale sulphureo caustico dependere, uti Arse„nicum, Mercurius sublimatus, Antimonij vitrum in„ter mineralia: ex animalium regno Chantharides, „morsus Tarantulæ, Viperarum &c. Ex vegetalium „regno Cicuta, Napellus, & variorum fungorum „species hoc dissertè testantur. Jam verò si paulo „acuratiùs perlustremus purgantium dictorum ele„menta activa, non nisi sal tenuissimæ indolis caus„ticæ septicæ invenimus, quod irritando, inflam„mando, spasmodicè convellendo sensibiles corporis „nostri partes exercet, hoc est, quod virulentum „effectum habet. (1)

10. Protendit deinde omni purganti indiscriminatìm hanc virulentam qualitatem auctoritate

ful-

(1) Hoffman. de Purgant. fortior. ex praxi medic. meritò ejiciendis tom. 6. dissert. 5. pag. 285.

fultus *Hypocratis*; cujus aphorismos uberiùs exponens *Heurnius*, probat hanc eamdem deleteriam qualitatem omni inesse purganti repetitis experientijs, quibus ad oculos patet, quòd si aliquis sanus purgetur æqualem aut majorem humorum quantitatem ejiciet, quàm qui ægerrimus: cumque impossibile sit corpus sanum tantam humorum vitiosorum quantitatem continere, nam est manifesta contradictio, quòd quis benè se habeat, & tam ingenti morbosorum humorum mole prematur absque notabili incommodo, concludit malignitatem & humorum copiam quæ priùs deerat, à vi deleteria purgantis provenire; ac plura profert eaque tristissima exempla ex *Wili*, *Cobero*, *Doleo*, *Thonero*, *Hardero*, *Ephemeridibus Germanicis*, & alijs qui testantur Scamonium, Jalappam, elaterium rosarum, licèt inter purgantia secura à Medicis numerentur, mortem multotiès festinasse.

§. II.

11. Altera ratio quare in medicina facienda omnium validorum, sive ut veteribus placuit, *eradicativorum* purgantium usum proscribit *Hoffmanus* est. „ Quòd motus violentos in corpore efficiant, id „ est, humores ex una parte in alteram impetuosis- „ simè commoveant, circulique æqualitatem & li- „ berum transitum vehementèr turbent. Videlicèt

„quandò placidus, liber & æquabilis sanguinis per „omnium partium tubulos cursus est, universum ac- „tionum vitalium sanitatisque negotium rectè sese „habet; simul ac verò hic motus sanguinis liber im- „peditur, aut inæqualis fit, actionum vitalium sta- „tus mòx turbatur & pervertitur, & morbus prestò „est. Jam autem prosequitur *Hoffmanus*, nihil magis „motum regularem placidum sanguinis evertit, & „cruoris translationes ad partes quasdam impetuo- „sas efficit, quàm spasmus. Hoc enim constringitur „musculosa & membranosa partis substantia, & inter „hanc interjacentes tubuli comprimuntur, quo fit „ut denegato sic libero transitu sanguinis in alias par- „tes copiosè ac impetuosè irruat, ubi stases, infarc- „tus, distensiones, apertiones efficiendo causa & fons „sit dolorum, inflammationum, hemorrhagiarum, „variarumque fluxionum, nec non sensus motusque „in partibus aboliti. Cùm autem purgantia fortiora „sale suo caustico intestinorum tunicas nerveas vio- „lentèr velicante spasmos in abdominis regione, in- „que magno intestinorum canale ac mesenterio ve- „hementèr efficiant, testantibus id torminibus & „rosionibus, quæ perpetui spasmorum intestinalium „comites sunt, per facile apparet, purgantia præser- „tìm in corporibus sanguine & succis impuris re- „pletis gravia machinari posse pathemata.

„Prop-

12. „Propter violentum autem spasmum quem „injiciunt, prosequitur idem, primò tonum ventri„culi & intestinorum valdè lædunt; unde etiam ij „quos purgantia fortitèr exercuerunt, diù laborant „appetitu ejecto ac digestione alimentorum deprava„ta, id quod jam suo tempore notavit *Celsus lib.* 2. „*pag.* 90. dum scribit: *purgantia stomachum lædunt.* „Deducimus quoque ex læso intestinorum tono ads„trictionem alvi, quæ à forti purgatione diù cum „maximo sanitatis incommodo remanere solet. Et „observavimus sæpiùs in praxi quòd sani qui ve„hementibus pharmacis ventrem præservationis ergo „agitare consuescunt, ad flatulentias & colicam pa„sionem disponantur; undè non sine magna ratione „ipse *Hypocrates aphor.* 16. *lib.* 4. purgationem peri„culosam his dicit esse qui sunt integra valetudine, „& addit in eumdem aphorismum *Heurnius* sequen„tia: *Vidi sanos quos in perniciem traxit solum sim„plexque apocema purgatorium ex fumaria cum sennæ „folijs temerè exhibitum.* Propter eamdem causam „nempè spasmum intestinalem & mesenterij, à pur„gantibus tumores aquosos abdominis, paralyses, hy„dropes, ac alia quàm plura mala non semèl ob„servavi.“

13. Ex hoc eodem principio aliam intulit rationem non minus efficacem quàm propositam á *Hoff-*

mano eruditissimus *Mag. Feyjoo*, *qui in tom.*1. *Epistolarum*, *Epist.*13. *num.* 6. sic eloquitur: „Tertia de-
„ductio ac notatu sive animadversione dignissima est,
„quòd omnia purgantia necessariò *aliquam stragem*
„*plus minusve inducere debent* in insensibilibus ca-
„naliculis, per quos à vasis quibus continebantur
„humores purgati ad stomachum sive ventrem trans-
„ſeruntur. Ratio est, quia diversi humores ex di-
„versis etiam particulis insensibilibus differentis fi-
„guræ ac molis constare debent, ut vulgata opinio
„est apud Physicos. Hac de causa particulæ insensi-
„biles quorumcumque humorum aptari nequeunt
„quibuscumque corporis humani poris aut canalicu-
„lis, quorum cavitates in distinctis ejus visceribus &
„partibus adeò dissident in mole & figura, ut li-
„berè fluant. Quocircà dum natura operatur se sola,
„alios humores excrementitios educit per alvum,
„alios per urinam, quosdam per ductus salivales, vel
„cutim, dirigendo singulos per ea emunctoria, quo-
„rum cavitatibus illorum insensibiles particulæ adap-
„tantur. Ast cæca & violenta purgantium actio cùm
„omnes humores per unam eandemque viam præpro-
„perè contorqueat, quàm plures ducit per poros qui-
„bus naturalitèr adaptari non possunt, quare progre-
„di nequeunt, quin cavitates magnoperè laxent ac
„vasa disrumpant: ex quo incommoda quàm ma-

„xi-

„xima proveniant, necessum est."

14. Tertia ratio quam affert *Hoffmanus* ad proscribenda communis praxeos purgantia est, „quòd „defraudent sanguinem seroso & lymphatico succo, „cujus tamen præsentia non modò ad sanum sta- „tum conservandum, sed & ad morbos curandos „summè est utilis. Res nempè extra omnem du- „bitationem posita est, circulum sanguinis esse „fundamentum sanitatis, & omnis curationis mor- „borum; aucto enim circulo sanguinis stases, hu- „moresque resolvi, obstructiones reserari, viscidum „attenüari, & omne superfluum & molestum per „debita evacuatoria eliminari, nemo in dubium „vertit. Certum & porrò est quòd circulus sangui- „nis imminutus sit causa omnium morborum acu- „torum & malignorum, quorum nempè causa ge- „neratur intra corpus. Ad circulum autem sangui- „nis fluxilitas summè est necessaria, quæ dependet „ab elemento aqueo; sanguis enim ex vena animan- „tis emissus duplici constat substantia, una solida, „altera fluida; solida est illa rubicunda fibrosa „quæ sicca in cucurbita remanet, quandò sanguis „per Mariæ balneum distillatur, & hæc est paucissi- „ma; copiosa autem aquea, adeo ut una pars sit „siccæ, decem autem humidæ, quæ vehiculum sic- „cæ, sulphureæ, rubicundæ, terrestris partis est,

„&

„ & efficit ut hæc solida moveri possit per angus-
„ tissimos corporis canaliculos. Si itaque abundet
„ crassa & sulphurea terrestris solida sanguinis subs-
„ tantia, ut ne sufficienti aquæ quantitate dilui pos-
„ sit, gravissimis hisque chronicis affectibus via pan-
„ ditur; stases enim, obstructiones emunctoriorum,
„ & inde motus spasmodici violenti fiunt, quos non
„ nisi magna copia aquarum ingesta in corpus vel
„ mitigare vel tollere possumus; quare perspicua est
„ ratio, quòd in morbis rebellibus & chronicis cu-
„ randis nunquàm satis laudandus sit usus Therma-
„ rum, acidularum aquarum salubrium, infusorum
„ herbæ The, Veronicæ, Scordij, Betonicæ, & cur
„ potus congrui liquidi copiosus in curandis morbis
„ acutis, febribus, inflammationibus, avertendis
„ morbis chronicis, egregij sit usus. Ex eo quod
„ jam adduximus clarissimè perspici posse arbitror,
„ purgantia quoniam evacuant plus justo serum tam
„ utile, maxima damna inducere posse.“ (1)

15. Hucusquè *Fridericus Hoffmanus*, cujus doctrina in compendium redacta ad hæc tria summatim convertitur. Primum: quòd purgantia aliquid habent veneni; operantur namque vi cujusdam salis penetrantis activi, sulphureo caustici, qui

(1) Hoffman, ubi proximè, num. 16.

qui exigua dosi ac brevi temporis intervallo venenorum ad instar horribilem in nostro corpore stragem inferunt. Hac in classe statuit ac collocat Euphorbium, Colocynthides, Tytimalos, Scammonium, Elleboros, Jalappam, &c. Secundum: quòd purgantia partes solidas lacessendo liquidasque concitando, sanguinis circulum turbant, humorumque placidum motum: cùm enim hùc illùc humores cæco impetu rapiant, tantum abest ut separent purum ab impuro, ac per loca conferentia humores excrementitios expurgent, quin potiùs irritando, perturbando ac commiscendo, omnes omninò transferunt per eosdem tubulos ac poros, quibus cùm aptari nequeant propter eorum diversam molem ac figuram, stagnantur, subsistunt, ac violentissimas inflammationes, aliaque quàm plurima efficiunt pathemata. Tertiùm: quòd purgantia detrahunt sanguini serosum ac lymphaticum succum, à quo ejus fluiditas omninò dependet: cùm autem liber sanguinis circulus totius sanitatis ac curationis summa & fundamentum sit, si partes fluidæ purgantibus destruantur, consistet circulus, conquiescet motus, ac corruet humanæ compaginis ædificium.

16. Eisdem ferè vocibus rem agit *Hermannus Boerhaavius*, quem universæ Hispaniæ Academiæ in suum ascivêre Patronum. Agit de purgantibus præcla-

clariſſimus Auctor [1] tàm mira diſtinctione ac perſpicuitate, ut nedùm ſingula in ordinem redigat, claſſes & cathegorias conſtituat, verùm etiam eorum vires ac proprietates uſque ad minimum exponat. Sermonem ergo inſtituens de *Hydragogis*, quæ non tantùm bilem, ſed & mucum inteſtinalem, & ipſum ſuccum pancreaticum expellunt; conſtantèr aſſerit id ea efficere minuendo vaſorum ſecretoriorum reſiſtentiam, ſimul & motum liquidi cùm ſpecialis tùm generalis per totum corpus augendo. Et concludit. „Quæ porrò hæc efficiunt, cauſtica ſunt „& venena: ut Helleborus albus & niger, Eu„phorbium, &c. [2] *Melanagoga*, proſequitur idem, „ſunt ea quæ materiem atram educunt per inteſ„tina. Et paucis interjectis: ad talem materiam „itaque movendam, vi maxima & cauſtica quidèm „eſt opus, quæ totius corporis tàm ſolida quàm „fluida turbet, motuſque ſpaſmodicos excitet. [3] „Et ut omnes venenorum proprietates ac caracte„res quæ ſuperiori § deſcripſimus, hiſce purgan„tibus aptet, concludit primò: quòd corpus agens „in hujuſmodi purgantibus eſt ſæpè volatiſſimum,

„prout

(1) Boerhaav. tract. de Virib. medicament. part. 3. cl. 2. cap. 3. & ſequent.
(2) Id. ubi ſuprà, cap. 2. pag. 250.
(3) Id. ibidèm, pag. 251. & 252.

„prout liquet in Aloe, cujus ſuffitus purgat; cùm „verò partes ejus ſubtiles avolavêre, illud quod remanet planè iners eſt.[1] Secundò: quòd pars corporis cathartica eſt minima reſpectu totius molis, „uti patet ex Euphorbio & Colocynthide, quæ in „aqua ſoluta & lenitèr evaporata, maſsæ fiunt inertes; cùm tamen pars exigua valdè atque vix ſenſibilis fuerit evaporata.“[2]

17. Hæc *Boerhaavius* de purgantibus in communi. Ad particularia deſcendens: & explicans modum quo operantur *Eccoprotica*, quæ benigniora cenſentur, & quæ ſunt in rei veritate purgantia, utpotequæ corpus inter operandum non multum turbant, & quæ præter ventriculi inteſtinorumque contenta vix quidquam aut ſaltem valdè parùm expellunt è corpore noſtro; ingenuè fatetur „impoſſibile eſſe „invenire *Eccoproticum* abſolutè ſic dictum, quod „ex glandulis inteſtinalibus aliquid non educat; „ſicut enim aqua ſimpliciſſima videlicèt pluvialis „in oculum ad ſabulum educendum injecta, eum leviſſimè ſtimulando lacrymas elicit; ita quoque „*Eccoproticium* ut blandum ſit, attamen aliquid ſempèr cum fæcibus ſimul expellit, glandulas nimi-

(1) Ibid. corol. 3. pag. 256.
(1) Ibid. corol. 4. pag. 256.

„ rùm intestinales commovendo. (1) Haud fas erat ul-
„ teriùs progredi, nequis enim etiam si in immensum
„ loquatur, plus dicere poterit, nec efficaciores ra-
„ tiones & causas afferre, ut Salem nostrum cete-
„ ris purgantibus præferamus."

18. Ut autem hucusquè dicta paucis perstringamus, in hunc modum argumentari oportet. Purgantia omnia ex *Hypocrate*, *Boerhaave*, & *Hoffmano* aliquid habent veneni, vel crispaturas ac spasmos efficiunt, vel lacessunt sólida, turbant fluida, vel deniquè sanguinem sero ac sua lympha spoliant: impossibile est inveniri purgantia, quæ simul cum fæcibus quas expellunt, aliquos succos sanos ac laudabiles non rapiant: noster Sal talia non præstat, imò contrarium efficit; nam impurum à puro placidissimè separat, naturæ sequitur ductum, ac ducendo quò ipsa vergit, evacuat tantùm impura per loca conferentia, ut in posterum demonstrabimus rationibus ac experientijs, quibus nullus relinquatur ambigendi locus: ergo Sal noster in ratione purgantis ceteris purgantibus præferri debet.

§. IV.

(1) Idem cap. 4. pag. 257.

§. IV.

19. Sed ut luce clarior appareat hæc veritas, concedo quod nullus concedet prædictorum Auctorum: concedo quod purgantia omni prorsùs careant virtute deleteria. Sciscitor: ea quæ in communi praxi purgantia appellantur, munus habent purgandi? Neutiquàm: nam ut suprà uberiùs explanavimus, purgare est separare impurum à puro, & id minimè efficiunt communis praxeos purgantia, quin potiùs hùc illùc versant impura cùm puris, ac cœco impetu rapiunt. Eapropter nos docet *Boerhaavius*, (1) „nulla dari purgantia *electiva* id est, quæ bilem, „lympham, pituitam, reliquis intactis, expellant: „istud enim ex historia purgantium abundè pa„tuit; quippè cùm de iis in specie verba fecimus, „clarè vidimus quod in omnia nostra liquida æqua„litèr agant, sed movetur solummodò materies flu„xilis, & quæ faciliùs deponi potest.“ Quocircà non possunt non actum agere quod totiès ingeminat illustrissimus *Feyjoo*, scilicèt quod purgantia sunt everriculum, quod infima summis paria facit, infestant, ac turbant humores, & cùm electione non polleant expellendi humorem morbosum, sumptum de

(1) Boerhaav. cap. 8. corol. 3. pag. 322.

de suo facit succus nutritius; & hæc est potissima ratio, quarè sana habentes corpora tàm malè ferunt purgantia, quibus inconsultè abutitur vulgus.

20. Hac ipsa ratione solvitur argumentum, quod ut efficacissimum proferunt qui totis viribus purgantia propugnant. Aliquotiès, inquiunt, curatus est morbus medicamento purgante. Fatemur: neque enim inficiari quis poterit quod quotidiana experientia nos docet. At quæso: quo purgante, si ægrè aliquod invenitur, quod innoxios non infestet ac corrumpat humores? Non est dubium, quin medicamento purgante nonnunquàm detrahitur humor morbosus, sed æger abit in pejus. Non est dubium, quòd si purgans omnes omninò evellit humores, eodem jure quo sanos evellet etiam morbosos: sed id non est curatio, nec nomen curationis meretur; quia solùm id propriè curare dicimus, quod materiam morbosam tollit, quin destruat naturam; at id purgans destruit naturam, etiam si morbosam tollat materiam. Et ecce quòd tam efficax argumentum efficacissimè in suum retorquetur Auctorem. Si purgantia communis praxeos mederentur, uti eorum affirmant patroni, ab asumpto purgante melius se haberent ægroti, cùm enim medeatur purgans auferendo morbi causam, necessum est, ut ex ablatione causæ sequatur morbi dicessio,

sio, juxta illud *ablata causâ aufertur effectus*: hæc tamen prompta morbi decessio nunquàm aut rarò sequitur ex usu purgantium, si fidem facimus *Boerhaavio* & *Hoffmano*.

21. At admittamus quod admitti nequit: admittamus quod hæccine purgantia discretione polleant segregandi impurum à puro, utile ab inutili, & quod impura tantummodò vacuent. Præferenda ne erunt nostro Sali? Minimè verò: quoniam licèt dicta concedamus, quàm maximum incommodum inferent, ni sequantur *quid*, *quomodò*, *&* *quò naturæ*, hæc enim sunt purgantium munera. Attentos vos volo, auscultetis precor, nam eficacissimæ ni fallor adsunt rationes. Prima: non omne illud quod humor excrementitius apud Medicos audit, est planè inutile humano corpori, quia licèt non sit idoneum nutritioni, deservit nihilominùs naturæ ad hanc vel aliam actionem, uti humor biliosus qui incapax est nutritionis, deservit tamen ad segregandas fæces quas natura in suis excretionibus expellit. Secunda: etiam illud quod in dicto casu purgans evacuat, si id non efficiat *quomodò & quandò* exigit natura, in hanc rem unicè incumbit, ut præoccupet sive prævertat actionem naturæ, & hæc præoccupatio uti incongrua modo & tempori debito, eo quòd uno ictu, ut ita dicam, agat quod paulatìm agere de-

debebat, non potest non esse violenta, & *omne violentum est inimicum naturæ.* Tertia: quodcumque purgans, ut fortunatum sortiatur effectum, debet operari laxando, „*Laxatio autem dicitur*, ait „Boerhaave, *ejusmodi mutatio in sólidis per quam* „*elongari magis possunt absque ruptura*," (1) & nonnulla purgantia etiam si excrementitia tantùm expellant, id minimè agunt laxando sed rumpendo; laxare namque est proprium humiditatis, & purgantia quibus frequentèr utitur Medicina, non humectant, imò exsiccant ac corrodunt; quare præ nimia siccitate, irritatione ac crispatura, quæ efficiunt in vasis continentibus, non semèl defraudantur actione, & si agunt, agunt præcipitando humores atque rumpendo compagem, qua gaudent delicatulæ partes quæ insensibiles dicuntur, quoniàm nostram prorsùs effugiunt speculationem.

22. Forsàm quis existimet, cùm me siccinè declamantem audierit, me purgantia proscribenda moliri, spoliando Medicinam pharmaco, quòd præterquamquòd ejus oculorum pupilla censetur, ejusdem sustinet molem ac ædificium; at perperàm existimabit: usus namque purgantium in Medicina nulla lege solvi potest, quotiescumquè manet indicata pur-

ga-

(1) Boerhaav. de Laxantib. cap. 3. pag. 147.

gatio, & sæpissimè manet indicata: omnes etenim morbi aut penè omnes intrant per os; ex quo ægrè occurrit infirmitas in qua primarum viarum vitium non intersit vel ut effectus vel ut causa. Hujus capitis inscriptio ac propositiones, quas tamquam principia adduximus ex *Hypocrate*, *Boerhaave*, & *Hoffmano* scopum meum satis ostendunt. Non est mihi propositum, quidquid dicat *Helmontius* ejusque sectatores, profligare purgantia, quinimò censeo eorum usum nulla lege solvi posse in praxi medica, & addo quòd solo purgantium usu morbi ferè omnes curari valeant, ac omnibus indicationibus fieri satis, minuendo aut augendo eorum dosim, ratione servata majoris vel minoris sensibilitatis ægrotantium.

23. Vulgata sanè res est in Medicina, ,,*Boerhaavium* testor, quòd omnia *purgantia* per se sunt ,,*vomitoria*, & necessariò talia fiunt si *dosi* aliquantulùm *aucta* dentur; imò *purgans* quodvis lenissimum copia nimìs larga datum fit *vomitorium*: ,,atque sic oleum recentèr expressum quod omnium ,,*purgantium* ferè lenissimum est, nimis copiosè ,,sumptum *vomitum* ciet. (1) *Olea* inquam *recentia*, ,,monet Auctor, etenim si talia non sint, sed è ,,contrario nimis diù servata, tùnc acria fiunt, & [illegible]

,, ad

(1) Boerhaav. ubi suprà, cap. 3. pag. 253.

„ad classem purgantium acriorum referri debent." (1) Vice versa *purgantia* si exigua dosi propinentur, fiunt *stomachica*, *diuretica*, *pectoralia*, *sudorifica*. Pulveres digestivi descriptionis nostræ conficiuntur ex Senna: aqua *Montani* ex Rhabarbaro; aqua antiashtmatica & pectoralis cujusdam magnæ auctoritatis viri amici nostri, ex Manna; & cùm Manna, Senna, ac Rhabarbarum purgantia existant, prædicta temen medicamina minimè purgant: & si aliquandò movent per alvum non id efficiunt virtute propria, sed actione naturæ. Verumtamèn quamquam non augeatur nec minuatur purgantium dosis vel quantitas, varietur tamen modus ac circunstantiæ in ejus administratione, diversa porrò emerget ejus operandi ratio. „Quare *Boerhaavius* asserit (2) quòd *Aqua* „*communis*, si ea lege potetur, ut ad intestina ver„gat, non autem ad corporis peripheriam *diluens* „*purg,ativum* evadit; ad intestina porrò verget, mo„dò quatuor observentur sequentia, (quæ quidèm „in usu omnium *Eccoproticorum* debent etiam ob„servari) nempè. Primo: Sumatur manè ventriculo „vacuo. Secundo: Frigido sub Jove bibatur. Tertio: „Sudor vitetur. Quarto: Determinetur *aqua* versus „intestina leni deambulatione in aëre frigido. Eam„dem

(1) Idem cap. 4. pag. 258.
(2) Boerhaav. cap. 4. pag. 266.

„dem aquam sudoriferam efficit, si in lecto ac calida sumatur melle edulcorata per hæc verba: *Sic aqua calida melle edulcorata sudorem copiosum excitat.* [1] Idem asserit de sero lactis, quod quatuor supradictis conditionibus assumptum munus obit purgantis; *si verò corpus moveatur, tunc diaphoreticum vel diureticum evadit.* [2]

§. V.

24. Non est in animo, inquam, relegare purgantia sed venena, quæ malitià hominum vel ignorantià in medendi artem irrepsêre, & firmare quæ verè sunt talia in ea legitima possessione, quam merentur pro sui virtute & efficacia. Verùm quæ sunt vera purgantia? Hic totius rei cardo, isque dificillimus: hùc universa controversia deducitur. Nihilominùs ex caracteribus quos anteà retulimus, quisque purgantia vera nullo negotio agnoscere poterit. Perstringamus dicta. Purgantia vera ex *Hypocrate* [3] sunt quæ purgant quæ oportet, & qualia oportet, eaque expellunt quò natura vergit per loca conferentia, quod facilè dignoscetur ex levamine ac tolerantia ægrotantium post

I pur-

(1) Idem cap. 11. de Sudorifer. pag. 352.
(1) Idem cap. 4. pag. 266.
(1) Hypocrat. ubi suprà num. 5. cap. 2.

purgantis operationem. Vera purgantia ex *Hoffmano* sunt quæ omni prorsùs carent veneno, irritationes sive spasmos minimè efficiunt, nec sanguinem sua limpha vel sero defraudant. (1) Purgantia vera, prosequitur *Boerhaavius*, sunt quæ laxando, diluendo, ac suavitèr stimulando suam exerunt operationem, quin aliquam producant irritationem in sólidis, perturbationem in fluidis, anxietates, vomitus, sudores, convulsiones, deliquia, nec alia ejusdem indolis pathemata. (2) Omnia comprehendit clarissimus *Ettmullerus* à principio sive à causa repetens rationem. Natura, ait *Ettmullerus*, *est auctor evacuationum per alvum*; (3) *excitat enim quàm plures ac salutares evacuationes*, *quibus morborum crises peraguntur*. Naturæ ad exemplum inducta fuêre in Medicina purgantia: igitur quæ in modo vacuandi imitentur naturam, illa erunt vera purgantia: natura vacuat quæ oportet & quomodò oportet: ergo quæ hunc modum imitentur abs dubio erunt purgantia vera.

25. Cùm igitur Sal noster superiori virtute polleat opitulandi ac imitandi naturam in ejus evacuationibus, humectando etenim sólida, validam eis præstat laxitatem; diluendo fluida, egregiam eis præbet fluiditatem, defæcat per alvum & uri-

nam

(1) Hoffmanus, ubi suprà, cap. 2. num. 15.
(2) Boerhaav. ubi suprà, cap. 2. num. 16.
(3) Ettmuller. tom. 1. Institut. Medicar. Therap. membr. art. 3.

nam abſque tumultu irritationeve naturæ, quin imò ejus ductum ac veſtigia premens, ea ducit per illa emunctoria ſenſibilia ſive inſenſibilia, quibus eorum aptantur particulæ, neceſſum eſt, ut purgans antonomaſticè exiſtat, ac ceteris omnibus palmam præripiat. Adde quod noſter Sal eo non gaudet veneno, nec eam cauſat deleteriam impreſſionem, quam indiſcriminatìm efficiunt cetera purgantia: non corrumpit humores, nec ex æquo emittit ſanos ac morboſos, neque in ſui expurgatione enervat naturam, quin potiùs firmat ac roborat: cùm enim pura ab impuris ſecernat, & tantùm impura ejiciat, relinquendo abſque aliquo nocumento humores innoxios, hoſce purificat ac roborat, dùm noxios ac excrementitios evacuat. Si igitur in primis vijs commoretur humor qui deponendus eſt; noſter Sal per os ſumptus ſive clyſteribus injectus, hunc morboſum humorem expellit; ſi commoretur in ſanguine, eum æqualitèr corrigit; cùm enim pro ſua ſubtilitate & fluiditate intimiores uſque partes pervadat, augendo vel minuendo ſanguinis motum, eum detergit à quocumque vitio. Quarè cùm vitium inſit (ut nunquàm non evenit in morbis chronicis) in illis partibus inſenſibilibus quas virtus aliorum purgantium penetrare nequit, noſter Sal in debita quantitate ac qualitate eſt unicum ac ſingulare remedium; quoniàm

ad illas partes inſensibiles (ut poſteà dicemus) nullum ceterorum purgantium permeare valet. Hucusquè dicta, quamvis mille experientijs comprobata in tot quot nostrum Salem felicitèr usurpaverunt, aliqua ratione fulciemus, ne Medici nos appellitent *Empyricos*; empyricos namque vocant, qui absque sillogismis medentur, id est, de viribus medicamentorum atque de eorum modo operandi non ratiocinantur. Et profectò nulla opus erat ratione, ubi tot luce clariores adsunt experientiæ, quia in Medicina nulla alia debet inesse ratio quàm experientia.

26. Noster igitur Sal (ut superiùs insinuavimus) est quædam aquæ *emanatio*. Consultè diximus *emanatio*, non productio; quia omnis effectus, ut ex Philosophia accepimus, (1) debet à sua causa distingui, non tantùm in entitate ac substantia, verùm in proprietatibus quæ ab illa dimanant: noster autem Sal est unum & idem cum aqua, adeò ut solùm ab ea differat in figura. Consultè diximus *emanatio*; quia nulla alia interest distinctio inter nostrum Salem & aquam, ac inter solem & lucem, sive inter ceram sólidam & liquatam, ita ut noster Sal indigitari queat *aqua sólida*, & aqua ex qua gene-

ra-

(1) Corsini, ubi suprà.

tatur *sal fluidus*; cum notabili singularitate quòd Sal noster etiam si solidus suam non amittit diaphanitatem, nec fluidus illam deperdit puritatem ac fluiditatem, qua pollet aqua per quam subtilis. Hùc accedit, quòd eliciatur Sal, aut in ratione aquæ perseveret, proveniat ex accuratissima sedulitate eorum, quibus injuncta est cura hujusmodi Salem colligendi; aëre namque occidentali sive boerali coagulatur, & nedùm australis apparet, cùm jam evanescit: adeò ut multotiès eveniat quod id quod erat Sal in instanti *A* existat aqua in instanti *B*. Hæc est natura, genium, ac proprietates nostri Salis: is modus quo progignitur candidè ac sine fucco expressus, quin nos immisceamus in illas technas, quas quisque pro suo libito effingere potest, & quibus rerum essentiæ magis confunduntur. Ex his omnibus nullo negotiò deducimus eximias nostri Salis virtutes non tantùm in ratione purgantis, verùm in ratione remedij *polychresti*, ac præstantissimæ efficaciæ ad quàm plures morbos persanandos. At prætermittendo in posterùm has egregias virtutes; ejus vim ac qualitatem purgatricem perscrutemur.

27. Purgantia quæque ut ex *Hoffmano*, [1] *Boerhaavio*,

(1) Principium catharticum præter salinum penetrans acre ego quidem non aliud agnosco, Hoffm. tom. 4. lib. 2. observ. 2. pag. 478. Boerhaav. ubi suprà, cap. 8. pag. 322.

vio, ceteriſque Medicis erudimur, in quo omnes mirificè conſentiunt, ſuam vim purgativam aceptam referunt à quodam principio ſalino, penetrante, acri, & pro conditione hujuſmodi principij ſunt plus vel minus venenoſa, plus vel minus familiaria, plus vel minus extenſa. Si tale principium ſit indolis valdè acris ac corroſivæ, uti Mercurius ſublimatus, Arſenicum, & vitrum Antimonij, erit venenum; & pro ratione augmenti vel decrementi acrimoniæ exiſtet majoris vel minoris activitatis. Quare Colocynthides, Scammonium, Jalappa, Euphorbium ac cetera purgantia draſtica, quamvis aliquo polleant veneno ſive virtute deleteria, non ſunt ejuſdem efficaciæ ac priora; quia eorum principium tanta acrimonia non gaudet, neque activitate. Nihilominùs de Colocynthide ſcribit *Boerhaave*, (1) *quod tanta ex ejus acrimonia, ut mortem poſſit afferre.* Nihil hujus venenoſæ qualitatis continet noſter Sal, ut poſteà dicemus.

28. Purguntia eò ſunt plus aut minus familiaria, quò plus aut minus accedunt ad alimentorum indolem, ac per conſequens plus aut minus imitantur naturam, ejuſque inſectantur operandi modum abſque notabili irritatione. Ad hanc claſ-

ſem

(1) Idem cap. 5. pag. 287.

ſem pertinent Manna, Senna, Rhabarbarum, Caſſia, Tamarindi, & alia quæ etſi agant virtute principij ſalini, penetrantis, acris (quod nulli ex purgantibus deeſſe poteſt, uti ejus elementum conſtitutivum) agunt tamen temperatè, quia horum principium ſalinum acre lenius abs dubio eſt, quàm ceterorum quæ etiam moderata irritatione operantur. At iſta etiam purgantia, quæ apud Medicos audiunt minùs noxia, ſua quoque patiuntur incommoda. Manna etenim quod non eſt ros ille cœleſtis, quo alebatur Populus Iſraël (1) ut falsò opinatur vulgus, nihil aliud eſt quàm *ſuccus è Fraſino exudans concretus*, (2) *& corpus viſcoſum quadam acrimonià præditum* (3) quod motus fermentativos excitat; & quò facilius eſt fermentari, eò facilius eſt & corrumpi: qua de cauſa hiſtericis, ſthomaco debilibus ac bilioſis plurimùm nocet. Senna ſi plus juſtò decoquitur, ejus parte reſinoſa præcipitata, truculenta movet inteſtinorum tormina. Rhabarbarum licèt ſummis laudibus à Medicis commendatum, ingratum quidem eſt ac nauſeabundum. Caſſia, *Nicòlaum Monardes* teſtor, adeo eſt vaporoſa, ut uſurpari nequeat jejuno ventriculo; nec aliquem ſortitur effec-

tum

(1) Exod. cap. 16. verſ. 14. & 15.
(2) Boerhaav. ubi ſuprà, pag. 260.
(3) Idem pag. 292.

tum niſi ſumatur ante prandium [1] Tamarindis, ait *Stéphanus Franciſcus Geoffroy*, vim purgantem denegant non vulgaris nominis Profeſſores. [2] Cùm igitur ut ex *Hoffmano* [3] accepimus, iſta quinque ſint mitiora ac ſecuriora purgantia, habent tamen relata incommoda: præterquamquòd de familiaritate ac amicitia naturæ cum noſtro Sale contendere nequeunt.

29. Adeò familiaris eſt Sal ac amicus naturæ, ut unum ex ejus elementis exiſtat, à quo proindè ſuum eſſe debet, incrementum, ac perfectionem. At certè inficiari quis poterit, quòd ſal qui jure meritoque rerum conditarum princeps ac rex, atque univerſi ſyſthematici mundi primum movile appellari poteſt, immenſa ac penè divina in immutandis, generandis ac perficiendis rebus corporeis virtute donetur? Hujus calor genuinum Chemiæ naturalis inſtrumentum eſt, cujus beneficio plantæ germinant, & foecundantur, naſcuntur flores, producuntur fructus, & ſapida inſipida, fixa volatilia, inodora odora redduntur, ita ut non tantùm natura, verùm ars acceptas referat à ſale univerſas in-

(1) Monard. tract. de Plant. Indiar. cap. de Caſſia.
(2) Geoffroy. Mater. Medic. tom. 1. part. 2. c. 9. de Tamarind. pag. 372.
(3) Hoffman. tom. 6. Diſſert. jam citat. pag. 291. n. 3.

suas productiones. Hinc abs dubio ab omni jam inde antiquitate inter Philosophos celebrata parœmia est, in *sole & sale omne illud quod Sapientes quærunt*, *reperiri.* (1) Etiam in politicis suas partes sal agere valet, hominum namque consuetudini magni pretij res est esse facetum.

30. Atque ut mentem nostram paulo pressiùs & liquidiùs explicemus, profectò ex omnibus purgantium generibus varia etiam arte conquisitis nulla dantur usui medico in morbis tàm avertendis quàm tollendis singularitèr accommodata, quæ cum Sale nostro comparari possint. Cùm enim noster Sal sit aqua pura, ac principio salino molli quo constat, tàm familiaris sit & amica naturæ, ut potest esse ipsamet aqua, nam in virtute laxandi & diluendi cum illa arctissimè convenit; si ad hæc adjungitur lenis stimulus quo pollet, evadet securius ac familiarius purgantium, quin ulla ex parte aliquid veneni illi adscribere valeamus, uti Scammonio, Colocynthidi, & Euphorbio; neque exceptiones, quas de Manna, Rhabarbaro, & Senna nupèr retulimus.

31. Ut autem quis, etiam plumbeus, superiorem nostri Salis præstantiam in ratione purgantis

K pe-

(1) Hoffman. tom. 6. Dissertat. 3. pag. 16.

penitiùs calleat, scire oportet quòd omnia purgantia operari debent laxando, diluendo, stimulando, at tam leni stimulo qui moveat, sed non lacessat, neque turbet humores, neque illos huc illuc cæco impetu transferat, ac turbet ordinatum naturæ cursum. Hiccine est modus quo purgantia operari debent, ut optatum sortiantur effectum. At nescio quod aliud purgans existat quàm noster Sal, quod similem operationem exerceat; nam laxare & diluere est proprium aquæ & stimulare essentia est principij salini, quo istud catharticum constat.

32. Quis ita rerum omnium inscius, ut ignoret præstantissimas aquæ virtutes ad diluendum visciditatem limphæ, ac ventris impuritates eliminandas per earum emunctoria conferentia? Si quis autem hanc veritatem in dubium revocare velit, repetat opuscula mea, vulgò *el Promotor de la salud de los hombres*, *el Secreto à voces*, *el Médico de si mismo*, in quibus invictissimis rationibus evincitur, longè latèque demonstratur. At talia opuscula non repetat, aliquis namque ut Empyrici sugillabit; repetat *Boerhaavium*, quem ut tanti nominis Professorem nemo forsàm audebit improbare.

33. Eximius hic vir, quem in universæ Medicinæ Doctorem Divina Providentia abs dubio designavit, in suo aureo tractatu de *Viribus Medica-*

men-

mentorum, [1] quo non præstantior alter in materia medica, resolvens naturam ad prima usque elementa, secretissima ejus manifestat arcana; describensque posteà modum quo operantur purgantia, aquam collocat in secunda classe *Eccoproticorum*, [2] id est, purgantium quæ fæces expellunt, & in prima classe *Plegmagogorum*, [3] eorum, scilicèt quæ diluunt ac vacuant pituitam sub illis conditionibus nempè, quòd „summatur manè ventriculo vacuo, „frigido sub Jove bibatur, vitetur sudor, ac de„terminetur aqua versus intestina leni deambulatio„ne in aëre frigido, ut num. 23. notavimus.“ Cum igitur nihil aliud sit noster Sal quàm aqua pura, adjuncto aquæ virtutibus principio salino quò stimulat, quod purgans tàm familiare esse poterit, nec tàm beneficæ ac efficacis operationis? Quod purgans tàm familiare quàm aqua, quæ nedùm naturæ familiaris est, sed ipsa natura, quam ut multotiès xpendimus ex aquearum partium majori numero constare censemus?

K 2 §. VI.

(1) Boerhaav. tract. de Virib. medicament. edit. Paris. an. 1727. per tot.

(2) Idem, ibidèm part. 3. clas. 2. cap. 4. pag. 295.

(3) Idem cap. 5. pag. 283.

§. VI.

34. Ex hac eademque doctrina invictiſſimè concludimus latiùs patere noſtrum Salem, quàm communis praxeos purgantia. Major etenim cujuscumque purgantis extenſio deſumi debet ex majori numero morborum, quibus medetur, ac majori numero ægrotorum quibus aptatur. In utroque ſuperat purgantia communis praxeos noſter Sal. Cùm enim vix detur morbus, in quo non ſit indicata purgatio initio, medio, ſive fine ægritudinis, quia omnes penè morbi à vitio ventriculi tanquàm à cauſa ſive ſymptomate pendent, innumeræ adſunt occaſiones in quibus opus eſt uſu purgantium. At quorum & quomodo? Hic ſumma res eſt Medicorum officij; & ſi præclarè in ſuo ſe munere gerere ſcirent qui vocantur *Profeſſores*, felices profectò forent Populi, fortunataque Regna.

35. Qui admittunt purgantia electiva, id eſt, quæ hunc præ alio humorem eliminant, purgans univerſale aſſignare non poſſunt, videlicèt purgans quod omnibus morbis, qui ab humoribus valdè inter ſe diſſidentibus proveniunt, congruat: propter quod monuit *Boerhaave*, (1) quod olea quæ operan-

(1) Boerhaav. cap. 4. pag. 259.

rantur lubricando intestinorum membranas in illisque contenta, & in prima *Eccoproticorum* classe statuit, v. gr. *oleum amigdalarum dulcium, in dissenteria si sumantur, alvum constipant, sed in affectibus hypochondriacis eamdem laxant.* Idem evenit omnibus purgantibus cujuscumque naturæ ac conditionis; nam quæ tali ægro prosunt ac morbo, necessario alijs officiunt. Quarè idem ipse *Boerhaave* docet, „quòd purgantia quæ lubricando operantur, „nocent hominibus, vel biliosis, vel laxis, vel „aquosis. (1) Et *Hydragoga* quæ prosunt aquosis „ac laxis, nocent in omni morbo inflammatorio, „hypochondriacis quoque & hystericis: hi quippè „sæpenumerò ab *Hydragogis* ita violentèr purgan-„tur, ut inde in animi deliquium incidant.“ (2) Et ratio totius est, quòd sua cuique purgantium inest vis & facultas producendi determinatum effectum pro natura ac indole suorum principiorum: exemp. grat. lubricandi, laxandi, diluendi, stimulandi, quæ efficiunt obtundendo, humectando, segregando, irritando: noster verò Sal tam longè latèque protenditur, ut omnia hæc munera se solo complectatur: laxat enim, lubricat, diluit, stimulat; cùm ergò sit aqua pura principio salino blando imprægnata,

quàm

(1) Idem cap. 4. coroll. 5. pag. 265.
(2) Idem cap. 7. coroll. 5. & 6. pag. 318.

quàm efficacissimè agit hæc omnia, ut probatum relinquimus num. 31.

36. Una igitur uncia nostri Salis in duodecim aquæ naturalis uncijs diluta, vel in minori copia, si tanta quantitas aquæ sumenti non arrideat, relatos præstat effectus tàm universali commodo ac utilitate, ut res mihi nova sit, quòd aliquod cuiquam attulerit nocumentum majori etiam dosi propinatus. Si dosi majori usurpetur, ciet vomitum ex generali regula, „quòd omnia purgantia per se sunt „vomitoria, & necessariò talia fiunt, si dosi ali„quantulùm aucta dentur; imò purgans quodvis le„nissimum copia nimis larga datum fit vomitorium.“ (1) Verùm etiam in isto casu per quàm magnum conferet emolumentum in illis præcipuè, qui ad vomendum procliviores existunt; vomitus namque securior est atque via brevissima ad stomachi fæces expurgandas. Sola hæc ratio quæ errori ac circumventioni minimè obnoxia est, sufficere debebat, ut Salem nostrum inter maxima eaque saluberrima medicamenta omnique purgantium genere superiora referremus, utpote pharmacum quod nedùm omnibus ferè morbis tàm acutis quàm chronicis, verùm omnibus penè individuis cujuscumque indolis sint ac naturæ congruat. Eu-

(1) Idem cap. 3. coroll. 3. pag. 253.

37. Fusiùs, ut quisque nos capiat, hanc exponamus rationem, quæ uti experientia fulcita extra omnem dubitationis aleam nos reddit. Die 13 Maij ann. 1778. quo regale Salifodinarum Quæstorium me contuli, venundatæ fuerunt 126 libræ Salis. Id non contendo, ut singulis diebus æqualis quantitas venum eat. Verùm prudenti calculo computare debemus, quòd alternis diebus 80 libræ venditantur. Ex salis 80 libris 1280 purgantia conficiuntur, uncia pro dosi. Ita ne verò quisquam pravus effectus pervulgatus non sit ex 1280 subjectis, quæ distinctis diebus bona ac adversa valetudine hujus purgantis periculum fecêre; cùm tot tamque potentes noster Sal substineat adversarios? Adde quod plures, qui Salem emere pergunt, nec legere quidem sciunt. Salem accipiunt, ac venditorem sciscitantur: *Domine, quis est usus hujusmodi medicinæ?* Venditor autem ut pote quod sui muneris non sit assignare ejus quantitatem ac dosim; sincerè respondet: *Recipe Salis unciam unam, infunde per noctem in aquæ communis poculo, & sume mane vacuo ventriculo.* Discedit emptor, nimiùm sibi placens, ac cumulatè satisfactus; utitur Sale sicut accepit à venditore, & benè se habet.

38. Et quod erit, quæso, purgans in universa Medicinæ sylva, quod eodem modo eademque

do-

dosi ab omnibus usurpatum omnibus æqualitèr prosit? Consulantur Auctores Medici, ac maximè *Boerhaavius*, qui in secunda classe de Medicamentis excrectiones promoventibus in novem capitibus, quæ continet iste tractatus, sequentia ut prima elementa sancit. Primum: „quòd singula purgantia suam habent limitatam sphæram, ultra quam operari nequeunt. Secundum: quòd alia agunt lubricando, laxando alia, ista diluendo, illa irritando. Tertium: quòd nonnulla adeo efficacitèr irritant, ut veneni qualitate gaudeant. Quartum: quòd alia varios effectus vehementes, ut nauseam, animi deliquium, &c. antequàm purgent, producunt: quod alia demùm alijs morbis ac ægrotis congruunt, quæ alijs maximum incommodum inferrent: purgantia fortia exemp. grat. quæ in corporibus siccis, calidis, atrabiliarijs, ac nimia viscerarum elasticitate præditis anxietates efficiunt, sudores, vomitus, & alia quàm plura truculenta pathemata, quin purgent; cùm quodlibet ex lubricantibus etiam lenissimum exoptatum sortiretur effectum.“ (1) Hæc ac plura alia adducit clarissimus *Boerhaavius*, ad quem remitto lectores, quibus opus sit uberiore luce ac notitia de salutaribus & lethalibus purgantium effectibus.

Nos-

(1) Boerhaav. ubi suprà, & signantèr, pag. 252. 253. & 263.

39. Noster igitur Sal ut purgans nullam habet determinatam sphæram, non agit solummodò laxando, solummodò diluendo, solummodò stimulando, sed simul ac semel stimulando, diluendo, & laxando, ita singularitèr ut etiam si stimulet, non irritat, ac etiam si vasa sanguifera ingrediatur, & cum sanguinis massa permisceatur, non causat vomitus, deliquia, convulsiones: omni ferè morbo convenit, ac omni subjecto, aridum sit vel aquosum, nimìs strictum aut laxum, adeo ut cunctas complectens ceterorum purgantium virtutes, omnia virtute superet, operandi modo, ac effectibus. Universæ hæc proprietates & attributa Sali nostro adveniunt ex eo quod, ut suprà diximus ac infrà necessariò repetemus, sit quædam aquæ emanatio, à qua in compagine tantùm discrepat & figura, quin plus distinctionis intersit inter utraque quàm inter aquam & glaciem, aut inter nivem & aquam. Ex combinatione ergo ac mixtura qualitatum aquæ cum principio salino amaricante, quo constat, ducuntur præstantissimæ virtutes & vires nostri Salis, ac proindè ejusdem excellentia super omnia purgantia.

§. VII.

40. Ex hac eademque combinatione, vel ut meliùs dicam, identitate Salis nostri cum aqua, illi advenit alia excellentia, quæ nulli purgantium congruere potest, quod non sit omninò ejusdem indolis ac naturæ. Rem planè exponam. Hanc doctissimi Medici sententiam sequuntur, quam magnoperè confirmat *Waldschmidius*, quòd corpus humanum ex partibus constat sensibilibus ac insensibilibus: quòd hæ fortiores, activiores, superioresque sint, ac partes materiales sensibiles regant: quòd ubi harum ordo perturbatur, & ab æquabili tritoque vitæ cursu recedunt, hoc unicè à pravo partium insensibilium regimine provenit; quare insensibiles partes, non sensibiles omnium nostrorum morborum causa existunt. Quocircà qui solùm asciscunt pro causa morbi materiam productam, effectus commiscent cum causis, quàm longè absunt à curatione, & morbum à tergo propulsant. Est etiam opinio, cui favent Auctores probatissimi, quòd partes insensibiles sive continentes sive contentæ tàm minimæ sint ac exiguæ, ut oculus etiam linceus exactiorum microscopiorum auxilio earum corpuscula penetrare nequeat. Constat ex observationibus perspicacissimi *Leuwenhoec*, quod minimùs sanguinis

ramus arteriosus quingentiès capillum exiguitate superet. Hunc sequens calculum oculatissimus *Boerhaave* asserit, [1] „quòd pollex geometricus quadratus centum decies centena millia globulorum sanguinorum continet.“ Alij *Sanctorio* & *Wainewerigh*t adhærentes longiùs hanccine protendunt exiguitatem, affirmant etenim esse in corpore humano canaliculos tantæ ac tam miræ subtilitatis, qui liquidum contineant adeo exile, ut quamvis perpetuò ac sine intermissione effluat, exire non poterit unius graniculi quantitas 178ŋ367 annorum spatio.

41. Nec in dubium vertere possumus, quòd efficacissima purgantium virtus partes insensibiles attingere nequeat, quoniàm tam miræ exiguitatis existunt, ut tantummodò penetrare valeat quod eas subtilitate excellat. Æquè compertum est, quòd purgantia etiam activiora tantummodò valent purificare sanguinem ut *removens prohibens*, id est, non attingunt sanguinem, sed quod eum inficere potest; cùm infectio non ab ipso sanguine, sed ab indigestione originem ducit. Hæc omnia sunt luce clariora, & tanquam prima principia in Medicina. Cùm ergo ita sit; quo pharmaco uti opus erit, dùm morbus à partibus insensibilibus proveniat?

 In-

(1) Boerhaav. de Virib. Medicament. in prolegom. cap. 5. per tot.

Inservient nè communis praxeos purgantia? Minimè verò: quia non tam longè patet eorum potestas ac jurisdictio. Quo igitur pharmaco uti debebimus? Pharmaco quod sit aqua pura, vel aquæ simillimum, respondet doctissimus *Verdries*: (1) aqua etenim tam tenuis ac egregiè subtilis est, ut poris corporum etiam minimorum aptetur, in illos se insinuat ac penetrat, quin illorum perturbet compaginem ac texturam, quippè quæ per poros vitri permeat, ac metallorum plus compactorum auri videlicèt & argenti, quin eorum ordinem ac naturalem structuram diruat; quia præ ejus quàm eximia exiguitate, prosequitur *Boerhaavius*, (2) pori etiam arctissimi ampli censentur, & liberum aditum illi præbent. Cùm igitur noster Sal ejusdem indolis sit & naturæ ac aqua, vel ut meliùs dicam, eadem sit aqua pura, pervadet partes insensibiles, quas cetera purgantia penetrare nequibunt.

42. Ex hoc alia deducitur ratio, quam suprà insinuavimus, (3) quod scilicèt noster Sal cum eadem gaudeat natura & proprietatibus ac aqua, æquè familiaris erit ac amicus naturæ uti ipsamet aqua; qua ratione ejusdem premit vestigia, deter- mi-

(1) Verdries. Institut. in Scienc. Natur. cap. 4.
(2) Boerhaav. Element. Chem. tom. 1.
(3) Num. 22. cap. 1.

minationem & genium, ac minimas usque penetrat nostri corporis partes. Ut hanc rationem uberiori luce exornemus, eique plurimum roboris afferamus, supponamus oportet *Hypocratis* doctrinam, quam pluribus dissertationibus confirmat *Hoffmanus*.(1) Natura, inquit *Hypocrates*, est auctor omnium curationum, & purgantia sunt uti causæ instrumentariæ, quibus in hoc vel illo casu utitur natura ad expellendum morbi materiam; qua de causa quò magis accedant purgantia ad genium ac simplicitatem quibus natura operatur, eò major erit eorum utilitas atque efficacia; purgantia namque minimè deducunt suam activitatem & efficaciam à quantitate, sed à proportione recipientis. Atque hìc notetur necessum est, error in quem incidunt etiam Professores Medici, eo quod ad verbum intelligant elegans Philosophiæ principium. Philosophia docet, quod *Sicut se habet simplicitèr ad simplicitèr, ita magis ad magis*. Eo suffulti principio plures sequenti modo ratiocinantur. Si Sennæ scrupulo uno, ex. grat. quàm copiosa efficitur evacuatio, major efficietur duobis Sennæ scrupulis, & quàm maxima tribus. Magnoperè errant profectò qui hoc modò ratiocinantur, atque hic error nimiùm invaluit: pur-

gan-

(1) Hoffm. varijs in locis præsertim, tom. 5. & 6. & in Supplem. a. tom. 1. Dissert. de Nat. optim. febr. pestilent. medicatric. per tot.

gantia etenim, ut superiùs diximus, minimè derivant suam activitatem & efficaciam à quantitate, sed à proportione recipientis. Quam ob causam si purgantia hujusmodi proportionis modum excedant, præ nimia activitate operatione privantur, quoniam activitas nimia enormem fibrarum irritationem, crispaturamque causat; & cùm purgantia operentur laxando, operari necessariò desinent, si crispaturam irritationemque producant. Cùm ergo Sal noster tam familiaris sit atque amicus naturæ utpotè qui ejusdem vestigia ac ductum omninò premit, penetrando minima usque corpuscula, opemque præstet quàm magnam, ut ab excrementis quæ liberum suarum actionum cursum morantur ac impediunt, se exoneret; inficiari quis poterit ejus super praxis communis purgantia excellentiam, inhærendo, ut inhærere cogimur, legibus rationis atque experientiæ?

§. VIII.

43. Superiùs diximus num. 37. Venditorem Salis in regio salifodinarum Quæstorio sciscitantibus de usu Salis candidè ac bona fide respondere: *Recipe Salis unciam unam, infunde per noctem in aquæ communis poculo, & sume manè vacuo ventriculo.* Tametsi bona fides illum nedùm salvum faciat, verùm

rùm laude dignum efficiat, non deerunt fortasè Medici, qui predictum responsum ut vagum ac insufficiens improbent ad erudiendum populum usu purgantis, à quo tàm magna commoda depromere potest. Nescio justa necne censenda veniat talis censura, stando ut stare debemus pro experientia.

44. Experientia nos docet majorem purgantium effectum minimè dependere ab eorum absoluta virtute, sed à proportione subjecti recipientis. Qua de causa videmus quòd Petrus majorem egestorum copiam deponit purgante benigno, quàm Joannes fortiori ac drastico. *Hypocratis* temporibus ut purgans commune audiebat lac asininum largiori dosi usurpatum. Hæc proportio originem trahit à majori vel minori subjectorum sensibilitate, ac uniuscujusque interiori dispositione. Isthæc interior dispositio ac sensibilitatis momentum, quo quisque pro suo peculiari temperamento potitur, licet ab Angelorum perspicacia comprehendatur, hominum superat cognitionem. Quocircà nullus Medicorum illam deffinire nec animo complecti potest, nisi ex prudenti conjectura, quam nanciscitur ex generali doctrina temperamentorum, ex habitu subjectorum gracili vel obeso, ex majori vel minori actionum vivacitate, ac tandèm ex experientia quam habet de modo quo hoc vel alterum medicamentum operatur.

Sup-

45. Supponamus, quòd momentum sensibilitatis subjectorum est in ratione quatuor ad octo, & in hac gradatione medium est *sex*. Supponamus etiam, quia id experientia nos docet, quòd alij optimè purgantur sive noxios humores ejiciunt uncia semisi Salis, alij quia difficilioris ac minoris sensibilitatis uncia & semisi opus habent. Supponamus deniquè, quòd medium inter unciam semisem & unciam unam & semisem sit *una uncia*. Ex hac numerandi ratione, quæ immensam sensibilitatum ac temperamentorum omnium hominum in universùm latitudinem comprehendit, quo pacto prudentiùs quis se gerere posset, ut purgantis quod omnibus congruat dosim asignaret, quàm eligere medium? Cùm igitur medium graduum sensibilitatis sit ut sex, & medium inter unciam semisem ac unam & semisem sit uncia una, nihil est quod ad rationem proximiùs accedat atque ad regulas artis, ut noster Sal in ratione purgantis omnibus conveniat, quàm assignare unicuique pro dosi unciam unam.

46. Nihilominùs quicumque rem prolixiùs vel majori scrupulo tractare velit, in hunc modum se gerere poterit. Recipiat unciam unam Salis, eamque dissolvat in duodecim uncijs aquæ fontanæ sivè fluvialis, ac sumat hujus aquæ tepidæ uncias sex

ma-

mane jejuno ventriculo, duabus horis tranſactis ſumat ſcutellam juris ſine adipe atque ſale; ſi autem evacuatio optatis minimè reſpondit, duabus horis à juſculo ſumat alias ſex uncias eodem modo quo priùs; & ſic ſecuriorem ac ſuaviorem ſortietur effectum. Vix verbis expendi poſſunt morbi, qui Sale ſiccine uſurpato curantur. Verùm animadvertere oportet, quòd in morbis chronicis ac rebellibus ſufficere nullatenùs valet quòd Sale una tantùm vice utamur; opus erit ad tertium ad minus diem eandem doſim ingeminare totalem uſque curationem morbi. Alij qui omnia pharmaca infeſtis oculis intuentur, Salem in tantillo aquæ diſſolvunt, unam unciam Salis v. gr. in tribus aquæ uncijs, ac uno, ut dicunt, ictu aſſumunt, ſuperbibendo copioſum aquæ puræ poculum, temperatæ tempore hiemali, ac naturalis æſtivo. Quocumque ex his modis poterit quiſquam ſuæ neceſſitati & rationi conſulens Salem uſurpare; „non enim homines, ut inquit Ano„nimus Galliæ auctor [1] in ſuo aureo opuſculo de „*Arte conſervandi ſanitatem inſtinctu*, incapaciores „brutis eſſe debemus; illa namque quàm plures „morbos præcavere ac curare ſciunt ſolo illo inſ„tinctu ſive appetitu naturali, qui ea in ſui con-

M ſer-

(1) Le Medicin. de ſoi meme, óu l' art. de ſe conſerver la santè par l' inſtinct. à pag. 229. ad 254.

„ servationem impellit." At cùm ipſemet Auctor in alio capite admoneat" „nihil plus extra rerum or„ dinem exiſtat, quàm modus quo in nonnullis pur„ gantia operantur, & impoſſibile ſit quod quiſque „ hanc irregularitatem dignoſcat, etiam ſi ſibi inti„ mè ſtudere contendat; in dubijs ſatius erit peri„ tiſſimum Medicum in conſilium adhibere.

47. Hæc omnia fundamentum auſpicantur ac originem à ſupra dictis, quòd ſcilicèt efficacia ſive modus operandi purgantium à varijs ægrotantium diſpoſitionibus dependet; & quòd Medicus, quique ſapientiſſimus, interiorem eorum diſpoſitionem ac uniuſcujuſque momentum ſenſibilitatis penetrare non valeat. (1) Tam longè ſuperant humanam mentem ſive hominum cognitionem hæ interiores diſpoſitiones, quod in nullo plùs inſanit natura (ſi ita loqui fas eſt) quàm in modo quo operantur purgantia. At loquamur rudi Minerva. In nullo eſt adeò extra rerum ordinem ſive irregularis natura, cùm ſit tam mira in omnibus, quàm in purgantium operatione. Miror profectò cum in Auctoribus fidiſſimis lego, „ quòd animi pathemata ſedes & „ vomitum non minus efficacitèr movent ac ipſa „ medicamenta: quod quidem obſervatur in homi-

„ ni-

(1) Suprà num. 42. & 44.

„ nibus ira percitis aut metu valdè perculsis: quòd „ homines plurimi odore solo medicamenti purgari „ possunt; hique si in tales morbos incidant, qui „ olfatum destruant, deincèps non purgantur, licèt „ medicamenta ipsa naribus eorum admoveantur: „ quòd pluribus à solo medicamentorum conspectu „ excitatur catharsis, uti quidem videre est apud „ *Bartholinum*, *Hist. Anat.* & *Medic. Centur.* 5. *ob-* „ *servat.* 64. quòd nonnulli ex brevi sermonis spa- „ tio in Pharmacopolio purgantur: alij ex solo per „ ejus ostium transitu: alij denique pluribus alijs „ modis, quos nullus hominum paribus unquàm „ verbis exponere, vel animo complecti possit, ut „ asserunt Auctores, quos refert ac approbat *Boer-* „ *haave.*" (1) Hodierna die casum ego vidi peculiarem admodùm, qui hucusquè dicta egregiè confirmat; quamvis satis superque erat testimonium *Boerhaavij* ex propria experientia, aliorumque Auctorum ac Academiarum, ad quem locum remitto curiosos, ubi plura enarrat quæ captum nostrum superant, ac proindè admiratione digna. Casus est. Cuidam nobili fœminæ hujus regalis Curiæ Medicus ordinarius sanguinis missionem ordinavit, ut dentium molarium fluxui occurreret, qui pediluvijs

(1) Boerhaav. ubi suprà, ca p. 3. pag. 254.

alijsque remedijs domesticis cedere non valuit. Hac indicatione peracta, Medicus pharmacum purgans præscripsit, ac tanto terrore nobilis fæmina perculsa est, (infestis enim oculis ac nausea contuetur omne pharmacum) ut copiosissima diarrhæa excitaretur, quæ activioris purgantis vicem ac morem gessit.

48. Licet ad explicanda hæc & alia quàm plura ejusdem indolis phenomena, ad imaginandi vim facultatemque recurramus; at amplius meo videri à Medico desiderandum erat, quàm ratio quam vulgus nullis instructus disciplinis non ignorat. Satiùs profectò foret ac plus consentaneum simplicitati ac animi candori, quem quilibet probus homo profiteri debet, nostram inscitiam coram sistere ac planè fateri, adeò miranda esse operationes effectusque naturæ, ut noscamus necessum sit in ejus causarum activitate quoddam principium sive genium elevatum, sublimem, mysteriosum, quem etiam si totis viribus scrutari conemur, à nostra cognitione ac captu longè abest. Ita esse oportebat, at pro nostra superbia ac commodo nunquàm ita eveniet; cum homines majorem ut plurimùm curam habeamus de nostro nomine, quàm de bono utilitateque communi.

49. At his prætermissis, noster Sal inter omnia medicamina etiam eo præstat quòd in Pharmacopolio venum non eat. Hæc circunstantia licèt parvi momenti, magni tamen habenda est. Agnovi namque ac plures agnosco, quos suo nomine ac cognomine appellare quiveram, qui vitam cum morte commutari permittent, priusquàm aliquid è Pharmacopolio desumant. Insania est, fateor atque judicij tenacitas; sed quis medebitur insaniæ hominum, præsertìm Magnatum, quibus pro sua auctoritate ac excellentia nemo est qui contradicere audeat? Vidi inquam quàm plures, qui torvis oculis intuentur quidquid in Pharmacopolio elaboratur; & quòd singularius ac majori admiratione dignum est, quòd ipsimet Pharmacopolæ pharmacis contumaciùs resistunt, ut Toleti mihi visum ocurrit cum peritissimo Pharmacopola Domino *Thoma Galera*, ac Burgis cum Domino *Bartholomeo Arraiz*, Pharmacopola celeberrimi Conceptionis Beat. Virginis nosocomij, qui adhùc vita fungitur.

§. IX.

50. Ex dictis quisque nullo negotio concludere poterit nostri Salis præstantiam super cetera purgantia, quæ antecellit substantia, modo operandi,

ac effectibus. Noster namque Sal in sua entitate ac substantia nihil aliud est quàm aqua pura ; in sui operatione ductum ac conatum naturæ insequitur ; in effectibus adeò efficax existit ac tàm miræ extensionis , ut omnibus penè morbis medeatur , dummodò uti in secunda hujus Dissertationis parte uberiùs explicabimus , usurpetur. Non ídeo est mihi propositum cetera amandare purgantia; stabilito etenim principio , quòd nullum existit aptius remedium quàm quod congruit , & cum quo quis benè se habet ; quia in Medicina nulla tutior est lux quàm experientia : si quis noxium sibi hunc Salem experiretur , in maximum deliramentum abiret , si illum usurparet , cum sint alia plura purgantia quibus commodè uti valeret. Manna, Rhabarbarum, ac Senna sunt purgantia, quæ uti operantur suavitèr , tutò , ac efficacitèr, multiplici existunt experientià comprobata, præcipuè Manna, quæ pro sua dulcedine ac leni stimulo omnibus propinari potest , infantibus & adultis , viris ac fœminis, ac ferè in omnibus morbis maximè convulsivis , quique proveniunt ab acrimonia & aciditate , uti passiones colicæ, affectus hypochondriaci , catharrales , rheumatici , podagrici , urinæ supressiones , dolores lumborum, &c. in quibus fortunatissimos sortitur effectus , ut fidentèr asserit *Hoffmanus* in eruditissima

dis-

dissertatione de *Manna ejusque præstantissimo in Medicina usu.* (1)

51. Manna, de cujus natura & origine tam mirificè dissident Auctores, nihil aliud est quàm succus sive humor concretus ex fraxinis Calabriæ, Apuliæ, ac Siciliæ exsudans. Calabriensis censetur melior. „Quod si igitur principia quibus Manna „componitur curiosiùs scrutemur, animadvertimus, „quòd in eadem subtilis quædam & volatilis acri„monia delitescat, quæ promptè difflatur atque exa„lat, quo fit, ut non solùm vetustate inertiam „contrahat, & diuturna aut vehementiori coctione „plurimum efficaciæ suæ deperdat, sed etiam ut „nauseosus subacris sapor gustu sese in sensus in„gerat.“ Quare ex *Hoffmano* (2) (cujus sunt verba relata) Manna ex quadam substantia viscosa temperata ac principio volatili salino acri constat; quorum primò lubricat, ac secundo stimulat. „Cathar„ticum, quod hisce principijs componitur, prosequi„tur *Hoffmanus*, vetustate inertiam contrahit, ac non „tantùm efficacia, virtute, ac robore denudatur, „verùm etiam rancidum efficitur atque nauseosum.“ Hæc incommoda vitare tentans præclarissimus Medicus Gallus, ut Gallia Manna fungeretur, quæ

nec

(1) Hoffmanus, tom. 6. Dissert. 4. pag. 24.
(2) Idem ibidem, pag. 27. num. 15.

nec tempore exhalaret, nec vetustate rancidum fieret (potest namque renovari quotidiè) sequentem in præcipuis Galliæ urbibus libellum publicè proposuit.

Manna cœlestis, sive Catharticum divinum.

52. „Id est quoddam pharmacum purgans, „quo nihil gratius aut præstantius in universa Me„dicina inveniri poterit. Quod omnes ut plurimùm „infestis oculis intueantur omne illud quod *reme„dium* dicitur ac maximè infantes, qui quodcum„que medicamentum ægerrimè ferunt, me impulit, „ut nervos omnes ac studium intenderem ad con„ficiendum hanccine Mannam adeo palato ac gus„tui gratam, ut vices gerens remedij delicijs ser„viat ac voluptati. Hæc Manna præter vim ac virtu„tem purgatricem, efficacissimam facultatem habet „adversus lumbricos. Dosis ejus est à quatuor ad „quinque drachmas pro adultis, & pro infantibus „à drachma semisi ad drachmam unam ac semi„sem. Dissolvitur in infuso Thè, Coffè, capillo„rum Veneris, lacte vel sero, sive alio liquore „appropriato. Si usurpata uncia semisi, purgatio „non respondet: tribus horis transactis, dimidium

„dic-

„ dictæ dosis usurpari poterit, âc etiam aliquod aliud
„ purgans admisceri, si visum fuerit expedire:“

53. Hoc est monitum, hic libellus, quem consulens in commune Galliæ publicè proposuit Medicus Gallus, celans tamen suæ Mannæ compositionem in sui præmium studij ac laboris. Vulgata est hujus pharmaci fama, ac plures curiositate perculsi ejus compositionem scire solicitè satagebant, sed nullus assequi valuit; usquedùm tempore, quod omnia fert aufertque, ad manus meas pervenit non absque magna contentione ac nimia sedulitate. Sic igitur se habet hujus medicamenti præscriptio.

Manna artificialis.

54. „ Recipe Mechoacanæ albissimæ medio-
„ critèr tritæ viginti uncias: infunde in olla fictili
„ nova vitriata cum quadraginta octo uncijs vini
„ albi calidi, quocum bis effervescet, ac per diem
„ integrum in infusione remanebit. Sequenti die de-
„ nuò effervescet, ac per linteum rarissimum ex-
„ primetur tam forti expressione, ut in liquorem
„ glutinis instar abeat, quantum possibile sit, tota
„ Mechoacanæ substantia. Residuum Mechoacanæ de
„ novo infunditur cum viginti quatuor uncijs vini
„ calidi, ac ut priùs exprimitur. Miscentur deinde

„expreſſiones hæ, & coagmentantur cum quatuor
„libris medicinalibus ſacchari albiſſimi ſive molæ,
„ac in tribus vel quatuor diſcis Talabricenſibus
„(vulgò de *Talavera*) exponuntur ſoli per diem at-
„que rori per noctem. Tranſactis quindecim noc-
„tibus, humiditatem paulatìm ad ſolem ſive in ci-
„neribus calidis abſumi curabitur, crebrò verſando
„quoad ſaccharum penè ſiccum, ac aliquantum
„molle remaneat Mannæ ad inſtar. Hæc eſt medica-
„menti præſcriptio, quam publici juris facere mihi
„in commune conſulenti viſum eſt, nam ut ait
„incomparabilis *Sydenhamius*, *revelare ſecreta me-
„dica tenetur bonus & ſapiens civis.*" [1]

55. Hæc Manna, utpote quæ in quolibet an-
ni tempore elaborari poſſit, nec inertiam contrahet
vetuſtate, nec quia rancidum nauſeoſum fiet. Ni-
hilominùs opportunior ſtatio ad ejus elaborationem
abs dubio erit à die vigeſima prima Junij; quan-
dò Sol Crancrum ingreditur; nam hòccine preci-
puè tempore coaleſcit Manna, ac colligitur in Ca-
labria, ut referunt *Rajus*, *Charras*, ac alij proba-
tiſſimi Auctores. [2]

NOTA. In agro Villæ (vulgò de *Cervera*) diœ-
ceſis Legionenſis ad ingreſſum Montium Burgen-
ſium

(1) Sydenham. obſerv. Medicar. pag. mihi 54. vel edit. Venet. pag. 9.
(2) Hoffman. Diſſert. de Manna, tom. 6. pag. 26. num. 12.

sium progignitur Mechoacana adeo selecta, ut de qualitate contendat, ni excellat in omnibus suis circunstantijs illam quæ nobis ex America advehitur. Ego inter alia pharmaca asservo, & maxima cum voluptate ostendam cuicumque videre libeat. Quarè pretium me facturum existimavi, si hanc notitiam præmitterem, ut ea pro suo arbitrio utantur, qui Provinciam Mechoacam confugere renuant ad afferendum catharticum, quod domi ac præ manibus habemus.

§. X.

56. Mirari igitur desinent Salem nostrum in ratione purgantis tanta efficacia ac extensione donari, ut omnibus ferè morbis mederi sufficiat, ut num. 37. retulimus qui in *Boerhaavio* legerint, primò: „Per intestina expelli posse corpora valdè diversa, „& ex quacumque machinæ nostræ parte. (1) Se„cundo: Corpus humanum totum depurari posse „per alvum, licet contrarium asserat *Helmontius*: de„purare autem est separare partes quasdam determi„natæ texturæ & acrimoniæ, per quas proprieta„tes à reliquo differunt sanguine, quocum cir„culantur: hæ porrò partes ut plurimùm minores

(1) Boerhaav. ubi suprà, cap. 3. pag. 241.

„extant partibus sanguineis, ac proindè si in lie-
„ne, hepate, alijsque visceribus laxitatem excreto-
„riorum vasorum minuere possumus, expulsorio-
„rum verò canalium augere, spontè patet, quòd
„peccantes illæ partes facilè separari queant. (1)

57. Hac nixus oculatissimi *Boerhaavij* doctrina, à qua nullus Medicorum dissentire valet, Salis nostri universalitatem statuebam, ut omnibus morbis mederetur, qui hisce evacuationibus curantur. Si etenim per intestina omnis materia morbosa expelli potest, & ex quacumque nostri corporis parte, quoniam omnia purgantia minuunt resistentiam in vasis, quæ intestinis proxima sunt, & eò juxta Hydrostaticæ leges liquidi deducuntur, quò minorem resistentiam inveniunt; (2) quod erit pharmacum quod Sali nostro in suavitate ac efficacia purgandi comparetur? Si igitur totum corpus ejusque humóres depurari possunt per alvum, quia depurare nihil aliud est quàm separare partes puras ab impuris, quod erit purgans quod aptiùs istam peragat operationem, quàm noster Sal, qui ratione suæ quàm exiguæ subtilitatis sanguini mixcetur, partes insensibiles penetrat, ac insectando naturæ ductum

id

(1) Boerhaav. ibid. cap. 8. pag. 321.
(2) Idem ibid. pag. 241.

id in statu morboso efficit, quod natura in statu sano?

58. Hæc ac alia quàm plurà præstat noster Sal in ratione purgantis ut totiès ingeminavimus. Ast ut dissidia vitemus ac turbas, quas ut plurimùm dat titulus *Medicinæ universalis*, hoccine attributum à nostro Sale amandemus, nec alia excellentia polleat quàm virtute *Salis Cathartici*: inficiari quis poterit, si ejusdem substantiam, operandi modum, ac proprietates paulo altiùs consideret, quòd noster Sal in ratione purgantis tanto intervallo ceteris purgantibus præcedat, quanto natura arti, simplex composito, naturale violento? Id igitur nobis sufficit ad invictissimè probandum, loculentissimèque ejus præferentiam demonstrandam. Adde quod tàm vili vendatur, & ad nubes usque conscendet excessus.

§. XI.

59. Demonstrata nostri Salis inter purgantia communis praxeos præstantia, superest quod morbos quibus medetur exponamus, ut inde reliquas ejus virtutes enucleemus. „Nupèr diximus cum „*Boerhaavio* per *intestina expelli posse corpora* valdè „diversa, & ex quacumque machinæ nostræ par„te, atque corpus humanum totum depurari posse

per

„ per alvum.[1] Cum igitur curare nihil aliud sit quàm humores depurare ac materiam morbossam, quæ actiones naturales turbat, subducere, si totum id medio nostro Sale adipiscimur, omnem per illum abs dubio curationem absolvemus. At paucis doctrinam hanc complectamur. *Hypocrates* omnium in universùm morborum divisionem in aphorismis instituit, quam superficie tenus attigerunt ejus Commentatores. Morborum alij ex *Hypocrate* occupant superiorem partem diaphragmatis, alij inferiorem.[2] *Hypocrates* nullam aliam normam quàm naturam observabat, ab illa nunquàm oculos detorquebat, ejusque vestigijs pedetentìm ac fidelitèr insistere optimè noverat, ut Professores ambigere nequeunt. Diaphragma sanè in duas partes superiorem videlicèt ac inferiorem corpus dispertitur; atque ex hac divisione oritur prima classis morborum, quibus noster Sal specificè medetur. Hi sunt qui inferiora obsident, sive sub diaphragmate generantur, ut nos docet aphorismus: *quicumque verò inferiora molestant, per inferiora*; hisque ut dixi specificè medetur, quia purgantium spheræ ac facultati subjiciuntur. Qui morbi

(1) Boerhaav. ubi proximè.

(2) *Suprà præcordia dolores purgatione indigere per superiora significant, quicumque verò inferiora molestant per inferiora.* Hypocrat. sect. 4. aphor. 18.

bi sub diaphragmate subsideant, præter relationem ægrotantis dignoscetur ex pulsu, qui rarissimè in errorem illiciet peritum Professorem, qui ut sui muneris est eruditus existat doctrinâ pulsuum, quæ in *Idiomate naturali corporis humani* uberrimè exponitur ex observationibus *Solani de Luque*, *Jacobi Nihell*, *Theophili Bordeu*, aliorumque illustrium Professorum, qui hanc materiam per quam utilem ac necessariam tanti fecêre, ut illustrissimus *Feyjoo* (1) ac celebriores Europæ Medici uti præcipuam Medicinæ partem æstiment; quod luculentèr demonstratur in meo opere, *Alphabetum Medicorum*, *sive instructio Candidatorum*, *qui ex certissimis naturæ elementis Medicinæ operam dare desiderant.*

60. Noster igitur Sal ex doctrina *Hypocratis* ac *Boerhaavij* ut purgans medebitur omnibus morbis, qui sub diaphragmate subsideant, uti sunt stomachi infarctus ac dolores, obstructiones hypochondriorum, hepatis, lienis, ac mesenterij, urinæ supressiones, dolores ventris ac colici, ac omnes alij morbi qui & si supra diaphragma existant, à prædictis tanquam à causa proveniunt, ut capitis gravedines ac dolores, vertigines, oculorum ac dentium fluxiones, quæ ut plurimùm sunt morbi sympatici, id

(1) Feyjoo, Epist. erudit. tom. 5. Epist. 8. & 9. per tot.

id est, à viscerum quæ sedem habent infra diaphragma, obstructione proficiscuntur, præcipuè ab intestino duodeno, ac à mora excrementorum in crasso, à quibus, ut asserunt *Anonimus Gallus*, (1) *Boerhaavius* (2) ac *Hoffmanus* (3) innumeri penè morbi gignuntur.

61. Ad hosce ergo morbos curandos usurpetur Sal noster per duos, tres, quatuorve dies continuos, sive interpositos pro majori aut minori subjectorum sensibilitate, ita ut si prima evacuatio sit aliquantum copiosior, unus vel alter dies interjiciatur. Usurpabitur tandèm noster Sal, ut dictum est num. 23. infundendo unciam unam Salis in duodecim uncijs aquæ communis; quæ infusio bis assumetur, dimidium videlicèt manè jejuno ventriculo, duas post horas jusculum, ac post alias duas horas quod superest, si evacuatio optatis minimè respondit. Usurpari etiam poterit manè ac vesperè horis medicis, scilicèt dimidiùm manè jejuno ventriculo, ac dimidium vesperè duobus horis ante cœnam, si ægrotantis saluti ac voluptati magis arrideat.

§. XII.

(1) Anonim. pag. 229. & seq.
(2) Boerhaav. ubi suprà, cap. 5. pag. 299.
(3) Hoffm. tom. 6. Dissert. 12. de Duod. mult. malor. causa, pag. 181.

§. XII.

62. Olim frequentissimus abs dubio hujusce Salis apud nostros extitit usus : in codice namque veteri, qui inter scripta latet, ad longum enarratas servabam ego præstantissimas virtutes ac usus salis cathartici, vulgò de *Pretola*, quæ ut illius regionis incolæ testantur, lacuna proxima est lacunæ de la *Higuera*, & quæ vigessimus annus est, quo nullum edidit salem, quin alia appareat ratio vel causa, quàm quod cùm talis lacuna exsiccata esset (idem interdùm accidit lacunæ de la *Higuera*) omnem salem quem *Tejo* appellant, quique ut fundum sive materia *ex qua* inserviebat, illius oppidi incolæ deprompserunt; ex quo salis scaturigo cessavit. In dicto codice summæ in hunc Salem laudes congerebantur, ejusque methodus instituebatur ac usus pro multorum morborum curatione, atque tàm in tuto ejus suavitas & efficacia collocabantur, quàm nullum aliud pharmacum collocari quiverit, cùm tamen remediorum Scriptores majora veris de illis communitèr referant.

63. In eodem codice podagram cum dicto Sale curare spondebat Auctor. Cum ergò methodus, quam præscribebat, facilis, brevis, ac tanti momenti foret, & aliundè celeberrimum Medicum viderim

illam feliciter exercentem, nullo negotio ea mihi in memoria hæsit. Methodus autem sic se habebat.

Unicum ac singulare remedium ad curandum præcavendumque podagram.

64. „Cum podagra adoritur, ægrotus lecto „decumbat, ac pars dolens sive affecta inungatur „melle, cui asperge stercorem ovinum vel arieti„num in subtilissimum pollinem redactum; impo„ne deindè linteum, quocum promptum ac singu„lare levamen experietur. Item in sex aquæ com„munis sextarijs infunde Salis cathartici unciam unam, „posteà adde tantillum croci torrefacti ac nodo li„gati, donec aqua omninò crocea reddatur. Hanc „aquam pro potu ordinario decrescente luna poda„gricus usurpabit, à prudenti victus ratione non „discedens. In plenilunijs, dummodò non urgeat „necessitas, tali aqua minimè utetur. At si neces„sitas urgeat, id est, podagra invadat, tempore in„vasionis, decrescens sit luna vel plena, illam „usurpare debebit.

65. Medicus quem retuli, ac suo nomine appellare vereor, nec ejus modestiam rubore afficiam, compluribus podagricis, quorum exemplaria in hac Curia alijsque in locis recensere poteram, hac metho-

thodo sanitatem impertivit. At certè si ut demonstratum reliquit Dom. *Lyser* (1) à nullo alio principio podagra originem trahit, quàm à visciditate limphæ, quæ suo lentore in articulationibus hæret, ubi fermentescit, & acris acerbaque fit; quis porrò ambiget, quin noster Sal in aquæ copia dilutus, potentissima qua pollet dissolvendi virtute, ejus efficax sit ac præsentaneum remedium? Memoratus Medicus prædictæ aquæ usum per trium aut quatuor lunarum decrescentium intervalla sequentibus cautelis instituebat: exactam victus rationem præscribebat, in qua ægrotum ab omni cibo salito ac pungenti, fructibus, acetarijs, acidis, lacticinijs, farinis subactis, ac omni obsonio crassæ ac difficilis digestionis se abstinere præcipiebat: absente podagra, aquam sine croco ad prandium & cœnam permittebat, si aqua crocea fastidium creabat, vel appetitum diminuebat: medijs temporibus ab una in alteram lunam decrescentem eundem in victu modum observare suadebat, atque aquam sive decoctum *Lentisci* pro potu ordinario usurpandam ordinabat.

(1) Liser, Trait. de la Gout. per tot.

Aqua ſive decoctum Lentiſci ſequenti modo diſponitur.

66. „Recipe ligni Lentiſci in taleolas conciſ-„ſi uncias duas: coque igne lento in olla fictili no-„vâ vitriata optimè cooperta cum ſex aquæ com-„munis ſextarijs usque ad remanentiam quatuor ſex-„tariorum: tunc remove ab igne, adde Cinamomi „aſſulam, frigeſcat ollâ coopertâ, poſteà cola, ac „in vaſe vitriato uſui aſſerva.

67. Siccine expertiſſimus Auctor quatuor menſium ſpatio podagræ medebatur, ac eamdem methodum rheumatiſmis adhibebat, quin alia intereſſet distinctio, niſi quòd aquam ſine croco propinabat, neque decocto Lentiſci per lunarum decreſcentium intervalla utebatur, niſi in ſubjectis laxioris fibræ, ac in quibus rheumatiſmus radices agebat. Hæc profectò methodus non tantùm facilis, rationi apprimè conſentanea, verùm omni diſcrimine vacare videtur; proindè qui rheumatiſmo laborant vel podagra, quod idem eſt, nam ut ex illuſtriſſimo *Feyjoo*, (1) ac Domino *Liſer* (2) accepimus, hi affectus ab eadem cauſa proveniunt, hanc methodum uſur-

pa-

(1) Feyjoo, tom. 8. diſc. 10. parad. 2.
(2) Liſer, Trait. de la Gout. per tot.

pare poterunt cum certa levaminis spe, imò curationis radicalis, si eam fidelitèr observent.

68. In his versabar, cum codicem amissum offendi, quin nullo pacto ejus inventionem meditarer. At quoniam ex improviso atque inopinato ad me venit, nolo Publicum defraudare opusculo, quod tot tantisque laudibus nostrum Salem commendat, atque hucusquè dicta cumulatè confirmat. Sic ergo se habet.

Sal amarus, catharticus sive purgans.

69. Cùm omnes hujusce Salis partes sint sibi „similes & homogeneæ, ac omnes eadem natura „purgante constent, nec tempus, nec aër, nec tem„porum mutationes eum aliqua ratione perturbare „possunt. Nulla prætereà dantur purgantia, quibus „suavitate ac universalitate non præstet.“

Modus utendi.

70. „Quisque (universalitèr loquendo) hoc Sale „commodè uti poterit in omni casu, inquo aquæ mi„nerales convenire censentur. Pro usu dissolvi neces„se est in aliquo liquore, ut aqua pura, lacte, vel „alio, qui recipientis voluptati magis arrideat. Cùm

„au-

„ autem Vere frequentior ſit aquarum mineralium „ uſus, tùnc ſatius erit aſſumi in aqua fontana ſub- „ frigida. Doſis erit ab uncia ſemiſi ad unciam unam, „ vel decem drachmas in una ſive duabus ampul- „ lis vitreis liquoris, qui pro eo uſurpando ſeli- „ gatur: manè jejuno ventriculo opportuniùs aſ- „ ſumitur: calida, temperata, ac interdum frigi- „ da uſurpari poterit, leni deambulatione in aëre „ frigido."

Effectus ac vires.

71. „Non eſt mihi propoſitum alta petere, „ nec magnificè loqui de hoc Sale, imaginarijs vel „ inanibus innixus fundamentis, ſed invictiſſimis duc- „ tus teſtimonijs, id eſt, quotidiana experientia doc- „ tiſſimorum Hiſpaniæ Medicorum, qui quotidiè fe- „ lici eventu eo utuntur. In primis hoc pharmacum „ ſtomacho convenit, ejus enim appetitui deprava- „ to qui *Pica*, & *Malacia* apud Medicos audit, ap- „ primè medetur: hæc felix proprietas Sali prove- „ nit ab amarore, qui ejus elementum eſt ac prin- „ cipium intrinſecum. Efficaciori adhùc virtute po- „ llet ad mitigandum ſanguinis æſtum, qui à ſen- „ ſualitate originem trahit. Adde quod cum ſanguis „ ab humore acido vehementi, qui tumores ac am-

„ pul-

„pullas in cute producit, ut scabiosis evenit, at„que his qui alijs inflammationibus vel erisipilate „afficiuntur, nimiùm intumescit, nullum datur effi„cacius catharticum, nec remedium magis præsen„taneum.

72. „Hoc pharmacum majori activitate ac effi„cacia donatur ad morbos calidos & hypochon„driacos, sive qui à melancholia proficiscuntur: „ad colicos & stomachi dolores, ad morbum re„gium, lumbricos, urinæ supressiones ac calcu„los, podagram, dolores capitis ac vertigines, „ac denique ad purgandum, dùm variolarum pus„tulæ exsiccari incipiunt. Præterea viatoribus qui „ventris stipticitate multotiès premuntur, qua de „causa toto corpore dolent, per quàm necessa„rium existit; usurpatis namque quatuor aut quin„que dicti Salis drachmis in aqua solutis, dolo„res ex tempore consopiuntur.

73. „Hic demùm Sal inter pharmaca pur„gantia primas tenere meretur; nam utpote si „virtute aliqua præternaturali vigeret, à corpore „universos humores noxios exturbat & destruit, „ac viscera abstergit, quin nec minimum quidem „incommodum inducat humoribus sanis, à quibus „alimur ac substinemur, quod nulli ceterorum pur-

„gan-

„gantium concessum est.“ Hucusquè codex, qui eo ipso quod tanta simplicitate rem exponit, majorem sibi auctoritatem conciliat, ac nos impellit, ut fidem virtutibus quibus noster Sal cetera purgantia antecellit, ex animo præstemus.

CAPUT TERTIUM.

De præſtantia Salis lacunæ de la Higuera *in ratione ſalis medij reſpectu ceterorum ſalium mediorum, tàm naturalium quàm artificialium.*

§. I.

1. DEſcripſimus jam capite primo [1] ſalium mediorum naturam ac vires, eorumque uſum in Medicina: & quamvis id ſat profectò erat Populo, cui meus dicatur labor, quia ſermonem inſerere de diſſertationibus Chimicis, à quibus bonus vel malus eventus ſalium mediorum, quæ Pharmacia elaborat, dependet, eſſet abs dubio abhorrentia ab auditorum animis ſuadere: intereſt tamen, ut materiam paucis complectamur, atque quod opus fuerit ingeminemus, ut noſtri Salis præferentia invictiſſimè demonſtretur; non igitur meis verbis, ſed rationibus fidem haberi contendo.

2. Sal ergo noſter, cujus ſi uncia una uſurpetur in octo vel duodecim aquæ uncijs, ſuaviſſimum atque efficaciſſimum purgans exiſtit, ut vi-

P di-

(1) §. 2. num. 9.

dimus capite antecedenti; si eadem Salis uncia in quatuor, sex, vel in octo aquæ sextarijs usurpetur, sal evadet medius, qui in efficacia ac suavitate operandi cetera *salia media* tàm naturà quàm arte parata longè superet. Ut hæc propositio, quæ hujus capitis argumentum est, clariùs intelligatur, animadvertere refert, quòd munus salium mediorum nihil aliud est quàm temperare, dissolvere, deobstruere, & quod noster Sal in dictis dosibus propinatus tàm mirè deosbtruit, dissolvit, ac temperat, ut nullus sit morbus, qui ejus effugiat efficaciam. Interest etiam animadvertere, quòd non quilibet sal medius, naturalis sit vel factitius, virtute pollet temperandi, quamvis singula qualitate dissolvendi ac deobstruendi donentur, sed tantùm illa quæ ad nitri naturam accedunt, ut noster Sal, qui ad naturam nitri tàm propiùs accedit, ut hujus regalis Curiæ Pharmacopolæ, quibus injuncta fuit cura anno 1752 discutiendi hunc Salem, vix ullam inter ipsum ac nitrum invenerint distinctionem.

3. Ex hac tam arcta cum nitro congruentia inter omnia salia media præstat noster Sal, ac omnibus superior est. Cùm enim in temperando nitri partes agat, ac in dissolvendo, deobstruendo, & incindendo crassos humores, acidum primarum viarum corrigendo, ac promovendo excretiones per

al-

alvum & urinam, partes nitri ac reliquorum omninium salium, cuncta tenet quæ in ceteris dispersa fluunt. Ita ut si opus sit temperare aut refrigerare, hoc munus præclarè obit noster Sal; si oportet dissolvere aut incindere humores crassos, manus præstat efficacissimas noster Sal; si deobstruenda sunt solida, reseranda colatoria, promovendæ excretiones per alvum & urinam, hæc omnia integrè efficit noster Sal, ac tàm mira suavitate atque efficacia, ut nullus sal medius efficere possit. Hanc ob causam hic Sal unum est ex quatuor medicamentis, quæ refero in meo opusculo multis ab hinc annis incepto, cui titulus: *Compendium sine dispendio, ac Medicina contracta: methodus scilicèt omnes curandi morbos sive acutos sive chronicos quatuor tantùm remediorum usu, quæ tamen omnia simplicia existunt, ubiquè inveniri, ac marsupio convehi queant, quin proptereà sua activitate atque efficacia denudentur.* Hoc opusculum aliaque id genus plurima, quibus Rempublicam illustrare, humanitati inservire, atque Hispaniæ commoda magnoperè promovere poteram, nunquàm lumen aspicient, si Regius Proto-Medicatus pro sui quàm maxima integritate, humanæ salutis zelo, atque amore Patriæ hosce meos labores, ut par erat, non fovet ac favet.

4. Tandèm notare oportet, quòd nostrum Sa-

lem exigua dosi se solo usurpatum, sive magna aquæ copia dilutum, salem *medium appellamus*, non quia etiam exigua dosi usurpatus vim purgatricem amittat, hæc namque est ejus natura ac essentia, & *essentiæ rerum*, ut Philosophia nos docet [1] *sunt invariabiles*; atque ut adduximus ex clarissimo *Grew*, [2] *hic Sal nunquàm sua virtute cathartica destituitur*: sed quia exigua dosi, exemp. grat. uno, duobus sive tribus scrupulis usurpatus adeo segniùs exsolvit facultatem purgantis, ut non transcendat sphæram dissolventis, temperantis, deobstruentis, aperientis, detergentis, & hæc officia sunt atque munia *salium mediorum*.

5. In his ergo officijs, id est, in ratione salis medij ceteris omnibus tàm naturalibus quàm artificialibus Salem nostrum præponimus. Ac primùm naturalibus. Longum nimis esset ac planè infinitum omnibus salibus medijs tàm natura quàm arte paratis illum comparare, nec possem intra præscriptos dissertationis terminos contineri. Id circo principalioribus tantùm salibus conferemus, ac ex præstantia quæ inter ista resultet, ejus excellentiam inter cetera alia luculentissimè concludemus. Inter salia media naturalia principem locum tenet *Sal communis*,

qui

(1) Apud Corsini, ubi suprà.
(2) Grew, ubi suprà, cap. 1. num. 18.

qui utpote hominum saluti quàm necessarius, suas etiam partes agit in Medicina: ast nullo modo de usu medico cum nostro Sale contendere meretur: Sale namque communi utuntur Professores vel externè ad tumores resolvendos, scabiem, ulceraque antiqua curanda; vel internè in enemate ad alvum inertem excitandum, atque evacuandum humores excrementitios: hæc autem omnia Sal noster majori suavitate atque efficacia peragit quàm sal communis. Ea propter si uncia una nostri Salis in aquæ naturalis sextario, sive majori minorive quantitate, prout exigat indicatio, dissolvatur, ac calida lotione vel linteis madefactis applicetur, tumores potentissimè resolvet, atque scabiem, ulceraque inveterata sanabit.

6. Hìc præmoneamus necesse est, quod in præsentiarùm asserit *Hoffman*, (1) quod scilicèt, *drachma una salis communis in clisteribus plus valet quàm uncia alicujus laxantis.* Et Domina *Fouquet* minimè ambigit, salem statuere utpote securius remedium in casibus deploratis, sic enim ait: (2) *Certissimum ac infallibile remedium ad evacuandum in omni eventu desperato Apoplexiæ, &c.* ℞. ,,Aquæ communis par,,tes duas, aceti selecti partem unam, salis commu-

(1) Hoffman. tom. 6. dissert. 3. pag. 20. n. 21.

(2) Madama Fouquet, Oper. Medico-Chirurg. tom. 2. pag. 313.

„nis quantum digitorum cuspide capi possit; fer-
„vescat paulispèr usque ad salis solutionem. Hoc „enema tepidum substinebit ægrotus quantum possi-„bile sit.“ Supervacaneum mihi persuadere videtur Salem nostrum pro sui qualitate purgante meliores præstiturum effectus, quàm sal communis. Idcircò quotiès alvum subducere oportuerit, quin aliquid per os assumatur, nullum aliud quàm sequens enema parabitur: ℞. „Aquæ naturalis uncias novem, aceti „optimi uncias tres, Salis nostri drachmas duas; „ferveat ad Salis solutionem.“ Æger supra latus sinistrum decumbet ad recipiendum hoc enema, quod tepidum adhibetur. Hanc præmonitionem excersi ex celeberrimo *Fuller* in sua Extemporanea, (1) quam observandam suadeo ob rationem quam ibidèm Auctor exponit. Hoc enema præterquamquòd paratu facile ac innocentissimum existit, nunquàm fallit, ut experientia sæpesæpiùs testatum habet. Hìc ulteriùs animadvertere oportet, quod in aploplexia, epilepsia, ac in omnibus affectibus soporosis perquam utile fore censemus frustulum salis sive cathartici sive communis in os ægrotantis inducere; assiduis namque experientijs compertum est, quod sal linguæ papillas nerveas stimulando, & ad cerebrum usque progrediendo, coagulum solvit.

§. II.

(1) Fuller, Pharmacop. Extemp. tit. Enema commun. pag. 86.

§. II.

7. Secundum locum inter salia media naturâ parata sive naturalia *Nitrum* occupat. Inficiari non possumus præstantissimas nitri virtutes, quas Auctores Medici magnoperè commendant; „illud namque „putredini resistit, sitim ac æstum compescit, tar„taream saburram incidit, coagulatos sanguinis gru„mos resolvit, dolores mitigat; confert etiam fe„bribus ardentibus putridis, pleuresi, peripneumo„niæ, calculo renum ac vesicæ, obstructionibus he„patis ac mesenterij, alijsque quàm pluribus mor„bis tàm internis quàm externis, in quibus eo utun„tur Medici & Chirurgici, ut videre licet in Phar„macopeis, maximè in *Hoffmano*, (1) qui elegantissi„mam edidit de *præstantissima nitri virtute medica* „dissertationem." At cum Sal noster cum nitro in natura tam mirificè consentiat, ut anteà diximus, atque huic purgantis qualitas ulteriùs accedat; hinc est quod Salem nostrum nitro æquare debemus, quandò temperandi occurrat indicatio; at quandò dissolvendi urgeat necessitas, debemus præponere: nam medicamina, quæ purgandi qualitate donantur, majori pollent virtute dissolvendi. Quare quotiès nitri usus

sit

(1) Hoffm. tom. 6. dissert. 8. pag. 55.

sit necessarius; ejus partes noster Sal agere poterit cum cautelis supradictis, [1] quod scilicèt si nitrum à drachma semisi ad drachmam unam usurpatur, à scrupulo semisi vel uno ad scrupulos duos noster Sal propinetur, aptando sempèr quantitatem indicationi; ita ut si indicatio sive intentio sit dissolvendi in dupla quantitate adhibeatur, ac dum adest indicatio temperandi ac corrigendi liquidorum orgasmum atque spasticam crispaturam solidorum.

8. Nec etiam hìç silentio transmittere possumus monitum aliud magnæ utilitatis ac momenti. Nullus est qui nesciat, quod frequentissimus mos sit admiscendi nitrum cortici Peruviano in febribus intermittentibus ac quàm pluribus alijs, vel ad temperandum corticis æstum, vel ad ægrotantis temperamento consulendum, si forsàn nimis aridum atque inflammabile existat. Nec ignorant Medici, quod *Ettmullerus*, *Baglivius*, *Blegnyus*, *Sthalius*, *Junkrerus* ac alij peritissimi Professores sævissimum bellum cortici Peruviano indixêre, atque experientia & observationibus fidem sibi præstruere contendentes asserunt: » usum Peruviani corticis non modo reci- » divas longè graviores, sed & novos prorsùs & » insanabiles morbos insequi, cachexiam scilicèt, » tu-

(1) Cap. 1. num. 13. §. 3. & cap. 3. num.

„ tumores pedum oedematosos, hydropem, pertina-
„ cem alvi obstructionem, præcordiorum angustiam,
„ pathemata hypochondriaca & hysterica, febres
„ lentas & hecticas cum virium postratione, appe-
„ titu dejecto & tabe, in pueris nonnunquàm con-
„ vulsivos & epilepticos motus. Hæc ex aliorum opi-
„ nione *Hoffmanus*, (1) qui suam sententiam expri-
„ mens, prosequitur: Quin nosmet ipsi testamur,
„ corticem hunc promiscuè ac empiricè usurpatum
„ multum detrimenti intulisse," & vel recidivas ægrè expugnabiles, vel alios sæviores morbos, potissimum post quartanam hydropem, post tertianam pathemata hypochondriaca accesisse. (2)

9. Hæc inter Auctores ac Auctores notissimos dissidia à duabus corticis Peruviani qualitatibus oriuntur, ejus nimirùm substantia balsamica inflammabili ac parte terrea adstringenti: & propter utramque fustibus & armis illum oppugnant tam efficacibus rationibus ac experientijs, ut prudentissimos quosque hæsitare compellant. Et profectò si fomes febrium intermittentiùm in primis vijs sedem habeat, ut communis fert opinio, magna abs dubio, pharmacum adstringens inferet damna; & si, ut mul-

Q to-

(1) Hoffm. tom. 6. dissert. 5. *de recto Corticis Chinæ usu in febribus intermittent.* pag. 32. n. 8. & seq.
(2) Hoffm. ubi proximè, num. 10.

totiès evenit, à sanguinis inflammatione proveniat, remedium balsamicum inflammabile ardens eamdem aut majorem perniciem comparabit. Hac de causa, Medicorum alij kinkinæ nitrum admiscent, ut ejus ardorem temperent; alij Rhabarbarum, ut ejus corrigant adstringentiam; sed quomodocumquè sumatur, gravissima sæpè sequuntur incommoda, quæ ad nubes evehunt ejus impugnatores. Propter eamdem rationem Doctor *Franciscus Solano de Luque*, (1) quem pro sui animi candore voluptate lectito, raró kinkina utebatur in febribus intermittentibus propulsandis, & addit quod in febribus quæ aliquo constat inflammationis sigillo, venenum existat. Quarè hisce febribus medebatur vitriolo vegetali, aqua nimirùm nucum, cujus præscriptio ac virtutes videri queunt apud Dominam *Fouquet*, quæ ab æquis hujus medicinæ præconijs libri secundi suorum operum ducit exordium. (2)

10. Ab eo quod propositum est longiùs excurrere necessarium censui, ut Salem nostrum quam maximè commendarem. Kinkinæ denegare nequimus egregiam proprietatem ac vires debellandi febres intermittentes sive tertianas, augendi solidorum tonum, sanguinis balsamum, stomachi robur, & id ge-

(1) Luque, Lap. lydius, ict. tert. cap. unic. pag. 69.
(2) Fouquet, tom. 2. pag. 1.

genus alias præſtantiſſimas virtutes quas multoties experientia nos docuit, & legi poſſunt apud Auctores. At nec etiam inficiari poſſumus quòd kinkina ſit calida, ac propterea cum nitro adminiſtratur; quòd ſit adſtringens, & ideo cum Rhabarbaro exhibetur, conſultò hac ratione proſpicientibus Medicis, ne ut calida inflammet, neque ut adſtringens detineat ac obſtruat. Si quis igitur pharmacum inveniret, quod ſimul ac ſemel ac ſe ſolo kinkinæ ardorem temperaret, adſtringentiam corrigeret, integram relinquens ejus ſubſtantiam amaricantem, balſamicam, febrifugam, magnoperè humanitati conſuleret, ac diſſidia dirimeret quæ etiam Apollinis arci minitantur, ac rixas & contentiones inter Medicos fovent.

11. Id ergo pharmacum eſt noſter Sal, qui ratione ſuæ ſubſtantiæ nitroſæ eximia virtute chatartica ornatæ ſeipſo atque uno ictu efficit id omne quod nitrum ac rhabarbarum: kinkinæ namque permixtus ejus adſtringentiam corrigit ac æſtum, integram & abſque aliqua mutatione relinquens ejus qualitatem balſamicam antifebrilem. Cùm itaque kinkina in febribus intermittentibus ſe ſola adminiſtrari non valet, quia aliquid adeſt quod obeſt, „recipies „Salis noſtri unciam unam, kinkinæ electæ in ſub„tiliſſimum pollinem redactæ unciam alteram; miſ-

„ ce optimè, ac divide in sexdecim schedulas, „ quarum quælibet tertia vel quarta quaque hora „ usurpabitur, interjiciendo cùm jusculum, tùm aquæ „ poculum pro circunstantiarum ratione.“ Sic kinkinà paratà, omnia vitabuntur incommoda quæ illi ejus adscribunt adversarij, ac citò, tutò, & jucundè febres intermittentes curabuntur. Hìnc non possum non animadvertere, quod quandò febres intermittentes à solo primarum viarum vitio proveniunt, Sale solo curantur, sive ut purgans, sive ut purum dissolvens, prout indicatio exigat, usurpetur.

§. III.

12. Demonstrata jam nostri Salis præstantia respectu nitri ac salis communis, supervacaneum est ceteris salibus medijs naturalibus conferre, quæ sali communi ac nitro in efficacia & virtute longè imparia censentur; nam quod superat majorem virtutem à fortiori minorem superabit, si verum tenet Philosophiæ proloquium: *Qui potest ad magis, potest adminus sub eodem genere contentum*: Nihilominùs præmonere cogimur, nos nullo modo contendere nostri Salis præstantiam ac superioritatem super illa salia quæ ejusdem cum nostro indolis sunt & naturæ, uti *Ebsonensis* in Anglia, *Zetlicensis* in Germa-

mania, & alia id genus quæ ut ait *Hoffmanus* (1) in Hungaria alijsque regionibus reperiuntur, quæ sapore amaricante ac purgante virtute ita referunt *Ebsonensem*, ut nullum inter utrumque intersit discrimen: nos namque satis habere existimamus, si Deus pro sua quàm maxima bonitate Hispaniam nostram non minus ac exteras Nationes re tàm magni prætij cumulavit: quamvis res exteræ etiam usui medico pluris ut plurimùm æstimentur, quia temerè ac inconsultè recipiuntur. At qui Historiæ naturalis vel vulgari eruditione sit præditus, ignorare non poterit quod sola Hispania universa totius Europæ Regna æquat, imò superat mineralibus, jaspidibus, cusjusvisque generis aquis mineralibus.

13. Sed ad illud undè digressi sumus regredientes, Sal paludis de la *Higuera* in rarione *salis medij* nativi usurpari quiverit in omnibus illis morbis ac casibus in quibus salia media sive aquæ fontis aut lacus ex quibus eliciuntur, indicata existant. Itaque quàm maximæ efficaciæ censetur prædictus Sal in oppilatione, ictero, urinæ supressione, hydrope, asthmate, rheumatismo, tumore schirroso, tertiana pertinaci, obstructionibus inveteratis, febribus lentis, affectibus hypochondriacis, ac in omni-

(1) Hoffm. ubi suprà, tom. 6. & in Supplem. pluribus in locis ac disserration.

nibus denique morbis qui à viſciditate humorum, vaſorum occluſione, atque inerti eorum motu originem ducunt. In omnibus hiſce morbis eodem modo atque eadem doſi uſurpatur; ſcilicèt infunditur uncia una Salis in ſex aquæ communis ſextarijs, quæ omni alia ſecluſa, pro potu ordinario ſumitur cum prudenti victus ratione ac moderato exercitio.

14. At cùm omnes in tuenda valetudine nimìs ſint religioſi, oportet ut methodum curationis plus ſingulatìm pertractemus: „Recipe ergo Salis unciam „unam, infunde in ſex aquæ naturalis ſextarijs. Hæc „aqua pro potu ordinario uſurpabitur ſub hoc or„dine. Manè jejuno ventriculo ſumetur hujus aquæ „poculum (adminus medij ſextarij) hiverno tempo„re tepidum, verno autem ut eſt in ſe naturale, „leni deambulatione ſub aëre temperato intra ſive „extra domum, prout occaſio permiſerit: duabus „horis tranſactis ſumetur jentaculum, jus nimirùm „cum offa panis, vel chocolatum pro libito ac vo„luptate ægrotantis: ad prandium, quinta aut ſexta „hora poſt meridiana, & ad cœnam eadem aqua „uſurpabitur: prandium ſit frugale ac defæcatum in „majori aut minori quantitate pro morbi natura & „ægrotantis diſpoſitione, vitando ſempèr ſalſa, aci„da, piperina, ac obſonia concoctu difficilia: ad „ſecundam menſam ſive pro bellarijs paſſulæ, aut

„amig-

„ amigdalæ deservient: siquis vino sit assuetus, vel „ ad concoctionem ejus usus sit necessarius, pau- „ xillo vini uti poterit ad finem prandij: cœna sit „ levis, jusculum videlicet cum mica aut bucella pa- „ nis, simul cum acetario decocto, in quo bor- „ rago, scariola, beta, lactuca ceteris oleribus præ- „ ponentur."

15. NOTÆ. I.ª Libra una medica (duodecim unciæ) aquæ paludis de la *Higuera* continet juxta exactiorem analysim evaporatione peractam drachmam unam Salis. Dissolvendo igitur Salis unciam unam in sex aquæ sextarijs (sextarius constat 16 uncijs) eadem remanet aqua ac est in palude ipsa. II.ª Hæc aqua solo hoc Salis momento parata non gaudet virtute purgante, sed tantùm temperante, deobstruente, diluente; naturâ in hoc sicut in omnibus suis operibus rerum ordinem minimè turbante: sicut enim Sal suam non exerit vim purgatricem nisi ab uncia semisi ad unciam unam & semisem: ita similitèr aqua purgantis partes non agit, usquedùm in illa copia usurpetur, quæ ab uncia semisi ad unciam unam & semisem Salis contineat, scilicèt à tribus ad novem aquæ sextarios. Hìnc sequitur quòd in relatis morbis, ad quorum curationem præsertìm adinventa est Medicina, nam ad acutorum medelam sola natura sufficit, ut pluribus in locis affirmat

mat *Hoffmanus*, (1) à tribus ad novem aquæ cum Sale sextarij quotidiè usurpari poterunt eodem modo ac ratione, qua ceteræ aquæ medicinales, quibus nullatenùs virtutibus impar est, usurpantur. In hoc casu uti quis poterit mane sivè prima luce quantitate aquæ, qua ad sui curationem opus habeat, ac uti ad prandium & cœnam aqua naturali.

16. III.ª Hæc aqua quantò vetustior eò est efficacior, id est, quo plus temporis intervallo in aqua Sal maneat infusus, eo majori activitate donatur: nam sive solutio fiat per receptionem particularum Salis in poros aquæ, ut communis fert opinio, sive unione corporis solventis cum solubili, ut totis viribus contendit *Hoffmanus*, (2) sempèr verum est quòd pro majori unionis intervallo intimiùs Sal aquæ miscebitur, ac majorem nanciscetur efficaciam, quin ideo suam suavitatem amittat. Itaque cum aqua salita opus fuerit ad prædictorum morborum curationem, magna copia parari curabitur, & quidem certè quòd temporis cursu neque alteretur neque corrumpatur, quin imò subtilior, pellucidior, ac delicatior appareat.

§. IV.

(1) Supplem. 2. tom. 1. Dissertat. de Naturæ optimè febr. medicatric. num. 1. & seq.

(2) Hoffm. tom. 4. lib. 2. Animadvers. Physic. Chymic. observat. 8. pag. 487.

§. IV.

17. Sed in quo Sal noster reliqua salia neutra potissimùm antecellit, atque in quo ejus frequentiorem usum Medici commendare debebant, est in conficiendo ex eo omnes vel penè omnes aquas medicinales, quod nullo negotio peragi potest. Negare non possumus præstantissimam virtutem ad persanandos omnes morbos chronicos quàm plurium aquarum medicinalium, quibus divina providentia ac bonitas Hispaniam nostram abundantissimè cumulavit. Neque inficiari quis poterit, quòd quamvis aqua rationali methodo ac pleniori manu usurpata permultos morbos persanare valeat, ut videre licet in meis opusculis, (1) imbuta tamen ac vigorata salibus medijs majori pollet virtute ac efficacia. Propositum igitur ac rei cardo est, quod Sale nostro ut basi in ratione salis medij, etsi opus fuerit in ratione purgantis, omnes ferè aquæ medicinales, quibus Medicina utitur, in ipsis ægrotantium domibus ex tempore parari possunt. Unum vel alterum exemplum aquarum, quarum in hac Curia frequentior est usus, adducemus, ut ex his ad ceteras viam sternamus.

R *Aquæ*

(1) Videsis opusc. Medicus sui ipsius, ac cetera mea opuscula de aquæ virtute, &c.

Aquæ oppidi del Molar, vulgò de la fuente del Toro.

18. Hæ aquæ ut ex Doct. Dom. *Ildephonso Limon Montero* in suo *Speculo* (1) *chrystalino aquarum Hispaniæ* accepimus, ex nitro ac sulphure componuntur; ex nitro in substantia, ac ex sulphure in vapore. Cum igitur noster Sal penè totus ex nitro conſletur cum aliqua exilissima salis communis portiuncula, ut in meà analysi observavi, ac ex nonnullis relationibus liquet, (2) si aquam hujus Salis debita quantitate impregnemus, ac sulphuris vapore imbuamus, appositè concinnabimus aquam del *Molar*, & fortassè efficaciorem ob rationem quam totiès ingeminavimus, quod scilicèt noster Sal nitri qualitatibus adjungit facultatem purgandi. Sic igitur res in ordinem redigentur.

19. ℞. „Aquæ communis ac Salis quantum vo-„lueris, infunde Salem in aqua, servata ratione in-„fundendi Salis unciam unam in sex aquæ sextarijs. „Posteà recipe lagenam magnam, ac reple vapore „si-

(1) Doctor Limon, lib. 1. tract. 2. cap. 1. pag. 84.

(2) Epist. Dom. Francisci Portillo 20 Septembr. ann. 1775, in qua asserit quod ex dicta palude aliquotiès sal communis, licet exigua quantitate, educitur.

sive sulphuris fumo, quod ita fit. „Recipe por-
„tionem sulphuris in frustra divisi; (sulphur mine-
„rale habetur ut melius) injice in ignitabulo pru-
„nis accenso ac infundibulo cooperto, ita ut infun-
„dibuli cuspis in os lagenæ ingrediatur; & posquàm
„lagena fumo vel vapore sulphuris satis superque
„impleta maneat, eam obduce linteo aliquantùm
„raro, ac paulatìm infunde aquam Sale impregna-
„tam, suavitèr in orbem versando; His peractis aqua
„in lagena ipsa sive in vasculis benè obturatis usui
„asservatur. Quis sanè ambiget; quin aqua siccine
„concinnata, ac eadem quantitate epota, eosdem
„sortiatur effectus ac aqua *vulgò del Molar*? "

Aquæ Sacedonenses, vulgò de Sacedon.

20. Hæ aquæ ut ab eodem Doctore *Limon* erudimur, (1) mitissimæ existunt, quia principium quo majori in quantitate constant est terra mollis alcalina, quam veteres *Cimoliam* appellant; quarè hæ aquæ censentur mediæ inter minerales eximiæ virtutis, ac aquam dulcem naturalem. Qua de causa nedùm minori discrimine sumi possunt, verùm in ipsa febris actualitate. Prædictæ aquæ ex eodem

(1) Limon, ubi suprà, lib. 2. tract. 1. cap. 7. pag. 258.

Auctore (1) terra cimolia ac sulphure constituuntur: terra ut substantia permanente, sulphure subtilissimo ac volatili. Hæc terra, quam *Cimoliam* veteres, *Eritriadem* etiam, *Samiam*, *Chiam*, *Selenusiam* indigitabant à diversis regionibus & locis, quibus illa progignitur, nihil est aliud quàm terra mollis, oleosa, alcalina, & ut paucis plura complectamur, nihil aliud est quàm *Creta*; cujus facultates ac vires ad temperandum humores febre agitatos, obtundendum acida & acrimoniam, ac hydropem siccam persanandum, tàm egregiè sunt efficaciæ ut omnem superent hyperbolem, ut videre est in Pharmacopæa, quam de mandato magnificentissimi Ducis *Cumberland* probatissimi Medici, Chyrurgi, ac Pharmacopolæ Londinenses ediderunt anno 1753. (2) Elegans profectò est modus, quo aqua Sacedonensis Sale nostro paratur, qui sic se habet.

21. „Recipe in situla sive aquario arceo aquæ „communis sextarios viginti quatuor; injice cretæ „pulveratæ libras duas, (quantò oleosior sit creta „ac in fuscum vergat, tantò melior erit) in orbem „versa spatula lignea ad perfectam cretæ solutio„nem; subsideat, deinde cola per inclinationem;

„ac

(1) Limon, ubi suprà, cap. 2. pag. 262.

(2) Abregé de la Medicine practique ou nowelle Pharmacopée, edit. Paris. ann. 1753.

„ac octo quibusque colaturæ sextarijs adde Salis
„nostri unciam unam, tres uncias, exemp. grat. in
„viginti quatuor aquæ sextarijs; post Salis solutio-
„nem misce aquam cum vapore sulphuris, ut su-
„periùs diximus, notando quod non est necessum,
„ut lagena tanta vaporis quantitate imbuatur, ut
„hæc aqua appositè concinnetur.“ Quis inficias eat,
quòd aqua hac ratione parata eosdem proferat
effectus vel meliores virtute lenis stimuli Salis quo
pollet, ac aqua naturalis Sacedonensis?

Aquæ Portusplani.

22. Hæ aquæ, de quarum principijs tot tam-
que innumeræ sunt Auctorum opiniones, ut nihil
fortasè excogitari unquàm possit de quo magis &
acriùs illi inter se disseruerint, ita ut non desit
Auctor & Auctor primi ordinis, „qui eas *fodinam*
„*universalem* appellet, utpote continentes cuprum,
„stamnum, plumbum, ferrum, aliquasque argenti
„particulas, in distillatione precibus Doct. *Limon*
„exactissimè peracta à celebri illius oppidi Pharma-
„copola Dom. *Augustino Corredor*, ac postmodùm ab
„ipso Doct. *Limon* ingeminata, in vasis fundo re-
„liquerunt subtilissimum pulverem, qui digitis ex-
„pressus magnam in eis imprimit suavitatem ac

„mo-

„mollitiem, coloris alvi in rubrum vergentis, qui „igni appositus nec minimam partem metallicam „ostendit.“ (1) Ex quo deducit clarissimus Auctor, (2) quod omnes facultates ac vires, quas hæ aquæ participant, à mineralibus valdè volatilibus proveniant. Opinio certè rationi atque experientiæ, quæ de his aquis habetur, apprimè consentanea. Cùm ergo mineralia, quæ in dictis aquis gustui potissimùm apparent, vitriolum ac nitrum existant; ut tales aquas ad unguem sive omnibus numeris absolutas præstemus, illas sequenti modo parabimus. „Recipe aquæ naturalis quantum vis, infunde Salis „debitam quantitatem in ratione unius unciæ Salis ad „octo aquæ sextarios; deindè unicuique sextario adde „spiritus vitrioli guttas novem; ac usui serva loco „frigido in vasculis benè obturatis.“

23. Qui superficie tenus Pharmaciam salutaverint ac legerint Doct. *Limon*, qui utpote Portus plani natus, longiùs quam opus erat hanc materiam protendit, cognoscent imò comprehendent hujusmodi aquam concinnandi rationem. Cùm igitur hæ aquæ, ut ex gustu ac effectibus apparet, ex nitro & vitriolo non tantùm in substantia, quantùm in vapore ac particulis subtilissimis componantur: quid sub-

(1) Limon, ubi proximè, pag. 205. num. 22.
(2) Idem ibid. pag. 206. num. 22. in fin.

subtilius quàm noster Sal, qui nihil est aliud quàm aqua & aër? Et quid evaporabilius quàm spiritus vitrioli, qui ut vox sonat, spiritus est?

24. Sed quocumque modo res se habeat: ex prædicta aqua Medicina nanciscitur maximæ utilitatis ac efficaciæ remedium ad diversi generis febres persanandas: est namque diuretica, diaphoretica, incindens, attenuans, ac egregiæ virtutis ad omnem putredinem corrigendam. Adde quod efficacissima pollet virtute reserandi hepatis, lienis, mesenterijque obstructiones, appetitumque stimulandi. Eodem modo ac ratione parari poterunt ceteræ aquæ medicinales, quæ salia media ut basim habent, ad amussim addendo illum salem qui earum contrahat qualitatem specificam, ut salem Martis, Saturni & id genus alia.

25. Nihilominùs si ut vir probus ac Ecclesiasticus, qui non in sua sed in commune consulit locuturus sum, ut fatear necessum est quòd aquæ medicinales naturales artificialibus plerumque præferri debent, eisque uti prout exegerit indicatio, idque multiplicibus ac potissimis rationibus. Prima est, quòd ars etiamsi totis viribus contendat, nullo modo potest ita perfectè imitari naturam, ut ejus opera efficiat. Sic nulla arte potest effici flos, insectum, nec aliud vilissimum operum, quæ natura quæ in rebus

hu-

humanis ludit, ludricò agit. Ea de causa aquæ minerales nativæ majori familiaritate ac efficacia operentur necesse est, quàm artificiales ac factitiæ etiam omnibus numeris absolutissimæ. Secunda: Aquæ minerales naturales presertìm thermales in balneis ut plurimùm usurpantur; & aquæ artificiales raró huic usui inservire poterunt, licet in permagna quantitate conficiantur. Tertia, eaque potissima est ratio: quòd litteratorum, negotiatorum, comitialium, aliorumque id genus hominum morbi ab studio plerumque, ærumnis, insanoque labore dependent, queis nihil aut parum aquæ minerales artificiales proficient; vice versa à naturalibus quàm maximum experientur levamen; cum enim eorum morbi, ut diximus, à vita sedentaria, indefessoque labore proveniant, nullo alio pharmaco quàm domui vale dicere, negotijs vacare, ruris sive aëre pleno potiri, prudenti victus ratione, ac moderata deambulatione, etiam nullis aquis epotis, sanitatem corporisque robur adipiscentur. Nihilominùs nostræ aquæ minerales artificiales pauperibus proculdubiò deservient, atque ægrotantibus illis qui propter gravissima morbi pathemata peregrè proficisci non valent.

§. V.

26. Poſtquàm noſtri Salis præſtantiam inter ſalia media naturalia luculentiſſimè evicimus, haud difficile erit ejus excellentiam inter ſalia neutra artificialia probare; tùm quia ut nupèr diximus, ars quamvis enixè laboret ac nervos omnes contendat, naturæ perfectionem attingere nequit in ejus operum elegantia ac concinnitate; tùm quia ars, de qua tractare pergimus, cùm medio igne operetur, ita entium ordinem invertit, ut eorum turbet proprietates ac naturam. Diximus jam cum *Boerhaave*, [1] *quod ſeparatio chemica non dat partes ut præextiterant*: & nunc cum eodem Auctore addimus, quod non tantùm non dat partes ut præextiterant, verùm quod *vires novæ agendi in diviſis naſcuntur, quæ nullo penitùs effectu ſe manifeſtaſſent unquam in corpore unde eductæ partes*; quod infinitis quidem exemplis docemur, [2] potiſſimùm ſublimato corroſivo, alijſque ſalibus quæ cum in mixto ſive corpore, ex quo eliciuntur venena minimè forent, ignis vi ac impetu voraciſſimo venena quàm maximæ activitatis efficiuntur; quia cum ignis (ut ita dicam) ab eorum centro violentiſſimè extorqueat, mollitiem illam ac ſuavitatem, quæ illis

S ex

(1) Boerhaav. Elem. Chem. tom. 1. pag. 40.
(2) Idem ibidem.

ex convenienti suorum principiorum mixtione erant propria, amittunt, magna proindè vi ac irritatione operantur.

27. Tanta est voracitas ignis, inquit *Boerhaave*, ut ab ejus tantùm vi seu gradatione dependeat, quod sales fixi vegetalium, quibus tantoperè utitur Medicina, suavitate vel irritatione operentur: „ita ut hi „sales si leni igne educuntur, non sint valdè acres aut " urentes, quoniam olei paululum habent admixtum: " si verò igne valido extrahuntur, omnes sunt cor" rosivi; ac proindè sumi debent in larga satis aquæ " copia." (1) At quis erit Chemicus, quique peritissimus, qui ignis actionem ad perpendiculum ita ducat, ut non semèl modum excedat, cùm *quandoquè bonus dormitet Homerus*? Nulla in Chemia plus trita res est, quàm aliud quærere ac aliud invenire, & nullatenùs in secunda operatione peragere id ipsum quod in prima peractum est. Proptereà Doct. Dom. *Emmanuel Gutierrez de los Rios* scitè monuit, " ex Chemicorum crucibulis plurima in Medicinam " remedia derivasse, sæpè tamen eorum efficaciam " frustratam vidisse, & sæpissimè adeo mortiferos " fuisse eorum effectus, ut inter venena ab omni" bus recenserentur." (2)

Hæc

(1) Idem, Tract. de Virib. medicam. cap. 4. pag. 276.
(2) Gutierrez de los Rios, Idiom. nat. lib. 3. cap. 1. pag. 514.

28. Hæc diffidentia, quæ non levi fundamento nititur, ut augescat oportet pro natura entium, ex quibus hæc salia eliciuntur; ita ut majori formidine spectanda ac exploranda veniant salia quæ à mineralibus, uti mercurio, alumine, vitriolo, antimonio extrahuntur, quàm quæ à plantis, uti herbis & arboribus separantur; hæc enim sua natura mitiora sunt, ac proinde in sui operatione leniora. Cum igitur hæc omnia ita se habeant, quis ambiget salium naturalium *neutrorum* præ alijs neutris artificialibus prærrogativam atque eximiam in medendo præstantiam?

29. Sed totum hoc luce clarius exponemus, si salia salibus conferamus. Salia *neutra* artificialia quæ majori plausu in Medicina commendantur, ac majores turbas in universa Europa dedêre, suas unoquoque partes agente pro sui Auctoris merito ac opinione, sunt *Arcanum duplicatum*, *Sal polychrestus*, *Tartarum vitriolatum*, *Sal admirabilis Glauberi*, & id genus alia, in quibus miscendo sic vel alitèr spiritus nitri, sulphuris, vitrioli, &c. cum nitro fixo, vel alio principio alcalino, alia ex uno latere accipiunt quod ex altero alia, quarè omnia ejusdem indolis sunt ac naturæ, ut asserit *Hoffmanus*, [1] & in sequentibus dicemus.

 Hæc

(1) Hoffm. tom. 6. pag. 22. num. 31. & seq.

30. Hæc salia, inquam, licet famigeratiſſima magna tamen debent circunſpectione tractari, non tantùm quia ignis qui omnia diruit, rerumque omnium ordinem invertit, actione generantur; verùm quia à mineralibus corroſivis ac valdè acribus educuntur, quæ niſi à peritiſſimo Artifice elaborentur, vice pharmacorum venena emergent. Ut autem aliquale judicium in re adhibere poſſint qui facultatem minimè callent, in exemplum adducemus quatuor dictorum ſalium compoſitionem, atque ex his reliqua æſtimare poterunt; omnia quippè ut diximus, ejuſdem indolis ſunt ac naturæ.

Arcanum duplicatum Mynſicht.

31. Hic Sal conficitur ex reſiduo ſive capite mortuo quod remanet ex diſtillatione aquæ fortis, quæ ut notum eſt, paratur ex diſtillatione partium æqualium vitrioli ac nitri, & ad hunc modum ordinatur. ℞. „Caput mortuum aquæ fortis ex partibus „æqualibus vitrioli & nitri diſtillatæ, & diſſolve in „aqua tepida, filtra & evapora ad ſiccitatem, & „remanebit ſal in fundo, quem calcina per horam „igne fortiſſimo: hinc diſſolve in aqua, filtra per „chartam, & evapora, ut cryſtaliſetur. Hic eſt uſitatior modus conficiendi Arcanum duplicatum, quod

„in

„ in Pharmacopolijs appellatur etiam *Sal de duobus*, „ *Sal dulcis Holsatiæ*, *Nitrum vitriolatum* & *Panacea* „ *duplicata*. In defectu capitis mortui aquæ fortis pa„ ratur hic sal ex partibus æqualibus nitri & vitrioli „ simul, diù, & ad summam rubedinem calcinatis. “

32. Sed quomodocumquè paretur hic sal sive arcanum duplicatum, quis non videat quod talis elaboratio magnam ac diligentissimam artis peritiam exoptet, & quod per operantis incuriam sive in gradu ignis, sive in aliqua ex pluribus necessariò concurrentibus circunstantijs vice pharmaci salutaris venenum forsàm emerget? Quare cum *Hoffmano* vertor, [1] hoc ipsum longè compendiosiùs parari potest, „si nitro in alcali redacto sive fixo vitrioli „ spiritus guttatìm ad saturationis, ut vocant, punc„ tum instilletur. Et certè hic modus longè tutior „ est priori, quia vitriolum quod aquæ stygiæ ingre„ diens est, sæpè de venere participat, quæ nisi pro„ bè per reiteratam calcinationem separetur, arcanum „ illud Gottorpiense, si liberaliùs & ultra scrupulum „ propinetur, vomitum ciet. “

Sal

(1) Hoffm. ubi proximè, num. 31.

Sal Polychrestus.

33. Non meliori potitur fato sal qui dicitur *polychrestus*, id est, qui multis virtutibus pollet. Cum enim ex æqualibus partibus nitri puri ac florum sulphuris conficiatur in hunc modum: ℞. „Nitri puri „& florum sulphuris partes æquales, misce exactè, „& detona vicisìm in crucibulo accenso; deindè „adauge ignem per horam: hinc dissolve in aqua, „filtra, ac crystalisa secundum artem": eamdem vel majorem exigit artis peritiam ac arcanum duplicatum, neque tanti in re sunt ejus effectus, quantus est sermo.

Tartarus vitriolatus.

34. Ad eamdem classem redigere possumus Tartarum vitriolatum, non quia remedium non sit eximiæ utilitatis ac efficaciæ, ac magni ducere debeant Professores Medici, utpotè digestivum præstantissimum, ac tartarum in corpore humano efficacissimè resolvens, quodque propterea in omnium obstructionum genere ac mensium supressione ab scrupulo & semisi ad duos scrupulos in uncijs sex decocti cichorij silvestris utilissimè exhibetur; sed quia igne paratur, & quàm plures incuriæ in ejus elaboratio-

nem

nem irrepere possunt ; & ut compertum est, minima incuria circa subjectam materiam quæ ad salutem sunt comparata ad perniciem convertet. En ejus compositio : ℞. „Olei tartari purissimi per deliquium facti quantum vis, cui affunde guttatìm spiritum vitrioli, donec strepitus seu effervescentia „cesset, idque in vase vitreo capaci, & fiet coagulum : hinc humiditatem igne lenissimo cinerum „evapora, & exsiccatum ad usum asserva.“

Sal mirabilis Glauberi.

35. Hic Sal in ore omnium sui ortus initio tanta cum laude versabatur, ut *mirabilis* titulum nancisceretur, non tantùm suæ virtutis efficacia, quantùm Auctoris simulata politica : plus etenim in Medicorum opinionem tantulum politicæ ac urbanitatis influit, quàm multorum studiorum curricula. *Joannes Rodulphus Glauber*, Medicus Germanus Auctor stitit hujusmodi salis, qui statìm ac compertum est, quod ex sale communi sive gemma & acido vitrioli conficiebatur, in despectum ac desuetudinem venit. *Glauberus* ex residuo sive capite mortuo distillationis spiritus salis communis cum oleo vitrioli parati illum conficiebat, & ad hunc modum concinnabat. ℞. „Residuum distillationis prædictæ, solve

„in

,, in aqua tepida, solutionem filtra, ac pone in vase ,, vitreo aut fictili vitriato in balneo arenæ, & le- ,, nissimo calore evapora usquedùm crustræ in su- ,, perficie appareant: dehinc ab igne separa, ac re- ,, linque vas in loco frigido per tres aut quatuor ,, dies; crystalli formabuntur salino dulces, quos ,, omni cura ac studio ad perfectam siccitatem duce, ,, ac usui asserva.

36. Ex his rectè colligere licet, asserit *Hoffmanus*, (1) ,, omnia hæc salia, quia ratione ingre- ,, dientium planè non differunt, unius ejusdemque ,, indolis esse, atque unum alteri facilè in medendo ,, substitui posse; utpote hæc omnia in minori dosi ,, convenienti vehiculo propinata humores viscidos ,, incindunt, dissolvunt, & tubulos excretorios sti- ,, mulando, & alvum servant apertam, & urinæ flu- ,, xum promovent. Ubi verò in majori dosi ad un- ,, ciam dimidiam vel ultra cum sufficienti aqueo ve- ,, hiculo propinantur, non secus ac acidulæ operatio- ,, nem suam quinque vel sex sedes movendo exe- ,, runt; adeoque ubi purgatione opus est, quæ sine ,, sanguinis ebullitione, sine spastica fibrarum intes- ,, tinalium contractione, sine motuum exacerbatione ,, & virulentia quadam fieri debet, opportunissimè

,, hæc

(1) Hoffm. tom. 6. dissert. 3. pag. 22. num. 33.

„ hæc salia ad majorem dosim utique sunt offerenda.
„ Hucusquè *Hoffmanus*.“

37. Ex hisce omnibus quæ jam dicta sunt probè pensitatis liquidissimè apparet, quàm eximiam & ferè incomparabilem virtutem salia mediæ naturæ nativa præ artificialibus neutris in medendo habeant; præsertìm cum invictissimè demonstratum sit, quatuor salia neutra artificialia, quibus maximam laudem omnes impertiunt, qualia sunt quæ nuper exposuimus, majore efficacia ac virtute quàm salia neutra naturalia non pollere, quin imò minore gaudent virtute ac efficacia, ut ex nostris probationibus constat; & aliundè tot imminent discrimina ex eorum prava elaboratione. Quis erit ergo, qui suæ saluti consulens ac commodo, Salem nostrum eis salibus non præferat, quæ præter sumptus & impensas, tam gravia possunt inducere mala? Quis tam demens ac temerarius, qui in ignis flammis pharmacum inquirere satagat, quod etsi omnibus numeris absolvatur, nihil ex ejus virtute nobis accrescit?

38. Supponamus paludem de la *Higuera* esse magnum admodum vas, quod in suo sinu salem, quem *Tejo* vocant, contineat ac foveat: supponamus naturam utpote Chemicum naturalem radios Solis paludi admovere, ac leni calore Primiveris, & Autumni puriores ac subtiliores totius illius cumuli

salium partes ascendere facere, ac in aquæ superficie crystallisare : supponamus ex alia parte Pharmacopolam supparo sive ventrali vestitum ingentem carbonis *sancti* (sic appellant mulieres carbones qui accendi resistunt) quantitatem totis viribus follicantem, ac follicandi defessum, id curæ demandare Tirunculo, qui nec notitiam habet de ignis gradu, nec aliud scit quam temerè follicari : supponamus prompta & parata esse omnia sive in catino sive in cucurbita, pro actione fundendi aut distillandi, ad prædicta salia conficienda, quæ abs dubio celebriora atque utiliora sunt : supponamus deniquè adeo fortunatum ac felicem fuisse Pharmacopolam in sua elaboratione, ut omnibus numeris absolverit memorata salia, quod ad summum concedere possumus. His omnibus suppositis, eveniat occasio in qua salibus neutris opus habeamus sive ad purgandum, sive incindendum humores crassos, quæ indicantia sunt quæ plerumquè accidunt. In hoc casu quo sale uti debebimus? Sale neutro nativo quem natura creavit, vel artificiali quem Pharmacia eduxit? Huic quæsito sive interrogationi tota hæc Dissertatio respondet; ac nullus dubito, quin evictissimè illis respondeat qui optimè sciunt quod natura in omnibus suis operibus admiranda luculentissimè ostendit potentissimam manum, quæ illam gubernat.

§. VI.

§. VI.

39. His non obstantibus à sua pristina possessione detrudere non debemus salia *artificialia neutra*, quæ partim in sicca, partim in humida forma propinata mirabiles effectus præstiterunt in plurium curatione morborum, qui remedijs minus communibus minimè obsecundarunt. In hac ultima forma, id est, humida suum salem præscribebat Doct. Dom. *Emmanuel Robles* Primarius Medicinæ Salmantinus, àc Excellentissimi Ducis de Medinacœli Medicus ordinarius. Hic vir omni laude superior, ac de Medicina optimè meritus propter singularem gravissimos morbos curandi peritiam, in nullo majorem sui existimationem conciliavit, quàm in suæ mirabilis aquæ mineralis administratione. Vir preclarissimus Salmanticæ me sanum reddidit anno 39 vel 40, cùm in illa Universitate Theologiæ incumberem, ab obstructionibus ex solidorum crispatura, quas nullus Medicorum persanare valuit. Cùm autem cum dicta aqua me optimè habuissem, medicamenti præscriptionem anxio animo atque vehementi studio sollicitavi; at quamvis vir probus me maximo amore prosequeretur, illam nunquàm ab eo impetrare potui; talis est hominum conditio, ubi commoda intersunt! Obijt Auctor; & post plurimorum annorum intervalla casu

illius medicamenti præscriptionem offendi in Pharmacopolio Dom. *Joannis Garzon* Villæ Matricalensis Pharmacopolæ, qui uti integer amicus non tantùm illam transcribere permissit, sed originalem Medicamenti præscriptionem ipsius Auctoris manu obsignatam liberalissimè mihi donavit. Et cum sacra paginâ erudiamur quod *id quod gratìs accepimus gratìs dare debeamus*, [1] talis est medicamenti præscriptio.

Aqua mineralis Doctoris Robles.

40. „R. Nitri purificati & sulphuris ana libram unam: camphoræ uncias duas. Pulvericentur „ac misceantur hæc ingredientia. Præpara deinceps „ollam Zamorensem benè ignitam, & pars pulveris injiciatur in prædictam ollam in qua statìm „denotabit materia, quæ comburetur usquedùm cesset detonatio. Posteà injiciatur altera pars, & fiet „detonatio & combustio sicut prima; & sic reiteretur per partes donèc tota materia finiatur. Tandèm per duas horas tota materia calcinetur aperto „igne; posteà olla separetur ab igne, & post infrigidationem separetur materia, fiat pulvis, & servetur ad usum."

Vi-

(1) Matthæi, cap. 10. v. 8.

Vires ac uſus.

41. „Deſervit omnibus obſtructionibus ſive à „cauſa frigida ſive calida, ſuppoſitis evacuationibus „univerſalibus. Reiteretur bis aut ter in die alter- „natis juſculis & uſus eſt ad 15, 20 aut 30 dies „pro neceſſitate.

Modus quo Auctor illam præſcribebat.

42. ℞. „Prædicti pulveris unciam unam: aquæ „fontanæ libras tres. Stent in infuſione frigida per „dies tres: poſteà per chartam emporeticam filtre- „tur, & ſervetur ad uſum. Doſis unciæ ſex.

43. „Monet Auctor, quod ſi unicuique hujus „aquæ doſi addatur drachma ſemis mixturæ ſpiri- „tualis de tribus, quæ ut Medici non ignorant, con- „ficitur ex aqua theriacæ camphorata, ſpiritu tar- „tari ac vitrioli, reddetur efficacior ac tunc præſcri- „bitur ſic. ℞. Aquæ mineralis deſcriptæ uncias ſex: „mixturæ ſpiritualis de tribus drachmam ſemiſem; „miſce. Uſus ut ſuprà."

42. NOTA. Noſter Sal in hanc compoſitio- nem ingredi poterit loco nitri, non ſolùm quia nitri naturam in omnibus refert, ut totiès memoravimus,

ſed

sed quia ut *Hoffmanus* demonstrat, [1] omnia salia neutra ejusdem indolis ac naturæ sunt post calcinationem.

§. VII.

45. Hactenùs de Sale, vulgò de la *Higuera*, prout ex visceribus naturæ prodit, sive ut illum natura producit, sermonem instituimus; superest quod de illo uti ab hominibus vel arte paratur, penitiùs pertractemus; sic enim etiam egregijs admodùm pollet virtutibus. Quintus decimus adminus annus est, quo hunc Salem calcinatum sub specie Salis Anglicani in forma humida in usum ego revocabam tam mirabili eventu, ut nullus toto hoc tempore acciderit morbus maximè ab obstructione proveniens, qui (persanctè assero) huic aquæ suam medelam non refferret acceptam. Quatuordecim congios hujus aquæ in tribus lagenis continuò asservabam, ac nihil magis in delicijs habebam, quàm illam amore Dei pauperibus impertire. Cum id ego charitate efficerem sine personarum acceptione, neminem unquàm sciscitabar, quis esset, aut quomodo vocaretur, sempèr præ oculis habens illud Matthæi, *gratis accepistis, gratis date.* [2]

To-

(1) Hoffm. tom. 6. dissert. 3. pag. 22. num. 33.
(2) Matthæi, cap. 10. v. 8.

46. Toto hoc temporis spatio maxima me voluptate experientia didici, quòd hæc aqua quantò vetustior eò subtilior pellucidiorque evadat, virtute ac efficacia augescat, nullisque temporum injurijs corrumpatur. Deprehendi etiam, quòd hæc aqua quandoquè sedimentum sive fæcem deponebat, quandoquè non: tota hac diversitate proculdubiò pendente à majori vel minori puritate Salis, ac à diversa ejus calcinatione; cum namque Sal nimis purus non foret, aut ad calcem perfectam redigeretur, aliquam partem gypsosam relinquebat. Nolui in discutienda radicitùs hujus phenomeni causa immorari, quoniam universis operationibus, analysibus, ac Chemiæ manufactis tantoperè diffido, ut melius ac utilius existimarem hujus aquæ effectus observare, ac longa experimentorum serie ejus indicationes & virtutes ad tot tamque inter se dissidentium morborum curationem deducere, quàm nervos omnes contendere, ut ejus principia indagarem, ac victus & ingloriosus abirem.

47. Stupebant omnes admiratione perculsi ad hujus aquæ mineralis præstantissimos effectus, ac per quàm magna contentione ejus præscriptionem scire curabant. Ego illam coram sistere minimè dubitavi, ut res & occasio tulit, nonnullis amicis ac Dignastibus ac inter illos Emminentissimo Cardinali *Solís*, (cui

(cui terra ſit levis) ac uni vel alteri hujus Curiæ viro, qui omnes ut ſummæ auctoritatis ac fidei teſtes ejus virtutes affirmare valebunt. Sed potiſſimùm cuidam hujus Curiæ familiæ iſtius aquæ præſcriptionem confidi, quæ tanta elegantia ac concinnitate Salem calcinat, ac tanta cura & ſtudio aquam conficit, ut omnem meam operam ac induſtriam ſuperaverit, cùm tamen ego omnes ingenij, artis, & induſtriæ vires in ejus elaborationem inſumerem. Omnes quos nupèr commemoravi aquam conficiunt, cuique præſertìm pauperibus gratuitò largiuntur. Non tamen ita ſe gerunt nonnulli, qui hujus aquæ præſcriptionem adepti, nimis caro venditant aquam vel Salem in pollinem redactum. Non minori quæſtu potitur Medicus huic Curiæ proximus, qui lagenulam aquæ ſiclo argenteo venundat.

48. A ratione & æquitate longè mihi diſtare videtur, quòd aliquis mea bona fide abutendo rem ſuam faciat & augeat, ac ſtudiorum ac laborum meorum impendio in omnium ore verſetur, uti nonnulli verſantur. Id propter ut nullus ſecretum tam eximiæ utilitatis ignoret, ac in commune conſulam, coram ſiſtere pergo hanc aquæ præſcriptionem, quam plures avidiſſimè quærunt.

49. ℞. „Coculum Zamorenſem vel Alcorco„cenſem non vitriatum, appone vivido prunarum

ig-

„igni aëre aperto, tamen absque mutuo aflatu; de-
„tine in igne æquali usquedùm coculus penitùs in-
„flammetur, sive pruna fiat. Tunc injice in cocu-
„lum Salis libram unam vel duas, qui statìm in
„liquorem convertetur: prosequatur ignis eodem
„actionis gradu usque ad perfectam humiditatis eva-
„porationem, & Sal in forma sicca remaneat, quod
„duabus horis plus minusve peragitur. Post humi-
„ditatis consumptionem coculus separetur ab igne,
„frigescat, & post infrigidationem extrahatur Sal à
„coculo, ac usui servetur in subacta massa vel pul-
„vere, prout unicuique congruat.“

50. Hic Sal hac ratione calcinatus est quædam magnesia alba amaricans longè præstantior illa quæ *lac terræ* indigitatur, ac extrahitur ex residuo nitri lixivio per evaporationem vi ignis, vel per præcipitationem cum oleo tartari per deliquium; non tantùm quia majori simplicitate ac minori discrimine elaboratur, sed quia, ut *Hoffmanus* asserit: [1] Magnesia illa alba, cum sit pulvis alcalinus, insipidus, omni principio activo orbatus, natura sua non purgat: ait enim: „Certè id non ob terreum
„suæ alcalinæ indolis, quo constat, principium effi-

(1) Hoffm. ubi pro 1. pag. 24. num. 39. in fine.

„cit, sed quoniam hoc medicamentum cum quo-
„vis acido vehementèr effervescit, eoque solvi-
„tur, atque in solutione saporem valdè salsum ama-
„ricantem acquirit, qualis non ab ullo alio alcali
„terreo, sive lapidibus cancrorum, sive conchis,
„vel ovorum testis exurgit: certè hinc concludere
„licet magnesiam tunc demùm purgare, quandò ab
„acido in ventriculo stabulante dissoluta in sal ter-
„tium amaricans convertitur, quod etiam experien-
„tia confirmat, qua constat hypochondriacos op-
„timè hoc remedio purgari, minimè verò eos quo-
„rum ventriculus crassa & viscida pituita reple-
„tus est.“

51. Nonnulli Salem nostrum in majori Caniculæ æstu ad Solem calcinant, ac perfectam adipiscuntur calcinationem. Hoc opus facilius sanè ac securius videtur: facilius; quia nullum aliud negotium facessit, quàm Salem Soli in magnis discis sive saccis lineis exponere, ac de tempore in tempus versare. Securius: quoniam qui ignis actionem ordinare nesciat in lubrico est, ut Salem in perfectam calcem redigat, ac in eo plures particulas acres corrosivas inducat, quæ Salem nostrum valdè acrem efficiant, ac omninò deperdant; ut de quodam compertum habeo, quod Salem in calcario fornace cal-

ci-

cinavit, ac calcem vivam ad amussim perfecit.

52. Ego licet id muneris mei non sit, aliqua nostri Salis pericula feci, non sumptuosis dispendijs, quibus *Fridericus Hoffmanus* de hisce salibus pertractans id præstitit in Germania, *Hermanus Boerhaave* in Holandia, Dom. *Vanel* & *Vayen* in Gallia, Doct. *Cramer* & *Grew* in Anglia, ac Auctores operis *Specimen seu proluxio de aquis medicinalibus*, vulgò de Aranjuez, *in nostra Hispania*; hi namque præclarissimi Professores regia munificentia ac liberalitate suffulti nullis sumptibus pepercerunt. Ego minus numo aureo duplo (tanta argenti inopia laboro) tot pericula, combinationes, experimenta ac observationes tentavi, quot necessitas postulavit, sive quibus opus fuit ut naturam, vires & usus nostri Salis certò deprehenderem; & ni fallor, quidquid in observationibus & sumptuosissimis illustrium illorum virorum experimentis quomodolibèt utile invenitur, in hac paupercula Dissertatione reperietur. Quid quod in meis experimentis ad unguem observavi plura axiomata & scita, quæ memorati Auctores præscribunt, at non observant; uti sunt inter alia, „quòd virtus medicinalis pro„ductionum sive chymicarum sive naturalium est „quod utplurimùm hominibus deservit; & quod

„curiosæ physicæ investigationes infimum debent oc-
„cupare locum, cùm nullo gaudent in bonum so-
„cietatis influxu.“ (1)

53. Ex meis pauperculis experimentis magna simplicitate peractis, & ideo equivocationi vel errori minùs obnoxijs, sequentes deduxi observationes multiplici experientia comprobatas. Prima: quòd Sal eisdem pollet virtutibus post ac ante calcinationem. Secunda: quòd perfectè in aqua dissolvitur, & si non tam brevi temporis spatio quàm Sal ante calcinationem, dummodò facta sit calcinatio ita ut humiditatis consumptionem non excedat. Tertia: quòd si per excessum ab hoc puncto calcinatio deflectat, aut si Sal non sit omninò purus, in fundo dissolutionis aliquam relinquit partem gypsosam, ac etiam pelicula obscura in superficie apparet. Quarta: quòd Sal non calcinatus prorsùs in aceto dissolvitur, licet non tam brevi temporis intervallo quàm in aqua; nullam tamen in eo excitat fermentationem; at in fundo relinquit substantiam quandam albam superiore parte cretosam, inferiore quæ poculo hæret adeò duram ut corpus magis compactum, quæ tamen in magna aquæ copia temporis in- ter-

(1) Academ. Royal. des Scienc. ann. 1724.

tervallo dissolvitur. Sextà: quòd in calcinatione quæ igne fit, etiam si calcinatio humiditatis consumptionem non excedat; nihilominùs Sal dimidium ferè ponderis amittit; si libra namque civilis Salis calcinetur, remanent octo unciæ & semis. Septima: quòd Sal ad Solem calcinatus tertiam tantum & non omninò partem ponderis amittit ac faciliùs dissolvitur; in aqua etenim prorsùs dissolvitur, ac in aceto quamvis aliquod sedimentum ejusdem indolis ac Sal igne calcinatus relinquat, non est tantæ molis nec tam firmæ consistentiæ. Octava deniquè: quòd uterque Sal suam transparentiam ac diaphanitatem in calcinatione deperdit; sed ad Solem calcinatus figuram penè omninò conservat; ac amarorem superiori gradu quàm igne calcinatus; ex quo concludere debemus, quòd hic secundus aliquantum remissiùs operetur, quod quotidiano meo experimento verosimilitèr fulcitur.

§. VIII.

54. Quàm plures alias combinationes confeci, quæ etsi simplices, sat nihilominùs lucis mihi attulêre, ut modum quo hic Sal ac ejus aquæ operantur, penitiùs agnoscerem. Nolui hoc mihi onus injun-

jungere, ut prima ejus elementa perscrutarer: nam præterquamquòd arduum valdè facinus est, ut superiùs dixi, [1] atque totius humanæ mentis intelligentiam superans, uti pluribus in locis asserit Ecclesiastes, [2] non tantis opus est ad propositum, cum ejus virtutes cognoscamus. Propterea quod hæccine salia base alcalina minerali & acido vitriolico naturali constent, de quo plura dicenda ac discutienda forent, nam ut asserit *Hoffmanus* [3] ac alij Auctores, sal communis, nitrum, vitriolum & alumen eisdem principijs componuntur, & diversis valdè pollent virtutibus ac natura, nihil ad istam Dissertationem, quæ eo solùm tendit, ut ostendat mirabilem hujus Salis in medendo virtutem, ejusque multiplicem & præstantisimum usum in humanæ salutis profectum.

55. Neque etiam nimiam operam dedi, ut rationum pondere exprimerem à quo Sali nostro & aquis ex quibus elicitur, amaror proveniat; hoc namque est aliud naturæ arcanum, quod homines etiam linceos penitùs fugit. Doct. *Limon* provinciam suscipiens indagandi, à quo vel unde aciditas aqua-

rum

(1) Cap. 1. §. 1. num. 1. & seq.
(2) Ecclesiast. cap. 2. & 3.
(3) Hoffm. ubi prox. n. 32. & 33.

rum acidarum *Campi Calatravensis* originem trahat, postquam diversas mirificèque inter se dissidentes Auctorum cùm veterum cùm recentiorum, quos præ manibus habere potuit, opiniones referat, sanctissimo animi candore concludit: (1) „Meum judicium „ac opinio est, quod aciditas aquarum *Campi Calatra-* „*vensis* à nullo alio proveniat quàm à succo calcanto- „so, qui non est calcantum sive vitriolum perfectum „ac consumatum, sed materia illa spirituosa, subtilis- „sima, ex qua progignitur ac fit, cùm non sit pu- „ra materia, sed ipsius vitrioli fermentum. In hac „autem materia virtutes continentur aluminis, fer- „ri, cupri, sulphuris, nitri ac salis. Et sic nullo „negotio explicamus, ac in concordiam adducimus „tot tamque inter se dissidentes de dictarum aqua- „rum aciditate Auctorum opiniones. Nam qui illam „alumini adscribunt, benè dicunt, si &c.“

56. Nupèr retulerat Doct. *Limon Vitruvij* opinionem, qui harum aquarum aciditatem succo acido tribuit, quin determinet quis iste succus sit: *Falopij*, qui eam calcanto assignat, ad quod omnes species vitrioli enumerat *Sory*, *Misy*, *Calchitis*, & *Melanteria*: *Ambrosij Morales*, qui illam venis fer-

(1) Limon, lib. 1. tract. 3. cap. 1. pag. 190. num. 6.

ferri & calybis, quas hæ aquæ irrigant, attribuit. Ut autem harum opinionum dissidia dirimeret, ac omnibus placeret, rationem per quàm facilem excogitavit, assignandi nimirùm dictis aquis sub umbra *Sennerti* perperàm intellecti virtutem aluminis, ferri, cupri, sulphuris, vitrioli, ac salis; & plura mineralia non adhibuit, quia forsàm in memoriam revocare non potuit. Nihilominùs nos cautè erudivit, quòd hæ aquæ prædictis mineralibus in substantia minimè constant, sed in subtilissimis spirituosis vaporibus, qui facillimè avolant ac disparent; atque postmodùm hæ aquæ in sua propria elementali natura remanent uti ceteræ aquæ communes & multotiès suaviores. (1) Prudentissima sanè solertia! ut si cuipiam in libidinem veniat præfatas aquas distillare aut evaporare, cùm memorata mineralia in aquarum residuo minimè inveniat, non ignoret, quòd in vapores abierunt, volaverunt. Quis ambigat, id esse rem temerè æstimare ac scribere abs illo severiori studio ac examine, quod exigit materia tanti momenti, à qua hominum salus substinetur ac pendet? Doct. namque *Limon* nullam aliam causam nec rationem exposuit, ut illa

mi-

(1) Limon, ibidèm.

mineralia in aquis *Portusplani* præsagiret quàm vulgarem notitiam, quod aquarum aciditas ab acido cujusque mineralium quæ refert, provenire valeat.

57. Eidem principio adscribit amarorem salis atque aquarum, vulgò de *Aranjuez*, neotericus Auctor, qui pag. 71 sui *Speciminis* sive *Prolusionis* ait: „Hic sapor amaricans qui pluribus aquis acidulis „neutris communis est, in aquis mineralibus ferè „provenit vel à materia aliqua bituminosa, vel à „mixtione basis salis marini cum acido vitriolico. „Particulæ bituminosæ sali marino admixtæ gustum „etiam amarum aquis mineralibus præstare possunt. „Et nulla interjecta linea prosequitur: At nullo ex„perimento chemico cum aquis, vulgò de *Aran*„*juez*, parato, materiam bituminosam neque salem „marinum detegere valuimus: hic ergo sapor illis „provenit à mixtione acidi vitriolici cum base si„mili sali communi, quo cum effingit salem ejus„dem indolis cum sale medio, vel *Glauberiano*, qui „ex eisdem principijs componitur."

58. Ex hac doctrina evictissimè concludimus, unum & idem esse acidum & amarum, siquidem utrumque ab eodem principio provenit, ab unione scilicèt acidi vitriolici. Et si quis à me sciscitaretur, an inter succum limonum & aloem, inter absyn-

thium & acetum aliqua diversitas interesset; persanctè ac certissimè responderem, quod sic: quoniam aloe & absynthium sunt amara, succus autem limonum & acetum acida; & acidum atque amarum in ratione saporum abs dubio in essentia differunt. Cum enim distinctio essentialis adsit in qualitatibus, adesse necessum est in forma, à qua proveniunt; & cum sit in forma, necessariò erit in essentia; ni alia principia excogitare velimus, quæ hucusquè Philosophi penitùs ignorarunt.

59. At non opus est explorare unde Sali nostro ac ejus aquis amaritudo proveniat, ut eis tutò & confidentèr utamur: Medicina namque utitur kinkina alijsque simplicibus, quin eorum qualitates à priori compertas habeat; & quod maximum est, pluribus pharmacis compositis utitur quorum præscriptionem ignorat; quoniam sufficit ut eis scitè utatur, quod illa experientia comprobaverit, ut cum alijs Auctoribus docet illustrissimus *Feyjoo* (1) qui asserit, „à nullo alio Medicinam plus detrimenti „accepisse, quàm ab insanabili disputandi cacohete „de medicamentis jam probatis, ac de essentia & „constitutione morborum, ad quorum curationem „com-

(1) Feyjoo, tom. 7. discurs. 14. per tot.

„compertum habetur efficax ac utile remedium.“ (1) Noster Sal sive ad solem sive ad ignem calcinatus, (ego Sale ad ignem calcinato utor) præstantissimum audit catharticum, quod vacuat absque molestia, corroborando & per epycrasim, ut *Sydenhamus* desiderabat; (2) omnibus indicationibus facit satis, uti *Hypocrates* (3) exigebat; ac pro quantitate & methodo quibus usurpatur, pharmacum est æquè aperitivum, ac deobstruens, diureticum, temperans, antiphlogisticum, corroborans, antisepticum, antiverminosum, &c.

§. IX.

60. Expositis jam etsi rudi Minerva modo calcinandi Salem nostrum, ejus natura ac virtutibus, tantùm superest morbos enumerare, qui Sali nostro suam acceptam referunt curationem, ac methodum præscribere qua quisque tutò & jucundè eo utatur. Sed priùs fateri debeo, quòd ego hujusmodi inventionis Auctor non sim; non quia nimiùm mihi placere non possem ex inventione secreti, quo tot salutem adepti sunt & in posterùm adipiscentur,

(1) Idem ibidèm, num. 5.
(2) Sidenham. tract. de Hydrop.
(3) Hypocr. Aphor. sect. 1. aphor. 21. 22. & 23.

si eo ut ratio exigit utantur ; sed quia secreta aversor ac secretorum Auctores, qui hoc utuntur arbitrio, ut incautos in errorem pelliceant atque illis fumos vendant. Quod peritissimus Professor qui dies noctesque vigilat, ac omni studio & labore incumbit, ut hominum saluti proficiat, hanc vel illam medicinam excogitet, atque in sui laboris remunerationem eam ad tempus reservet, nullus iniquo animo feret ; quia propriæ terræ semina spargit, ac de suo metit. At quòd plures, quorum nomina non enuntio, qui neque Medici sunt, neque Medicinam à limine salutârunt, quia hanc vel illam medicamenti præscriptionem arripuerunt, aliena venditent, & alterius labore munera ambiant, pensiones ac præmia solicitent, id à ratione maximè abhorret, ac viro probo indignissimum putatur. Totius rei summa est, quòd plures nonnullis meorum medicamentorum præscriptionibus in hac Curia mercaturam faciunt, ea sub secretorum nomine venditantes ad strummas, luem veneream, cataractas, aliosque quàm plures morbos persanandos ; quæ omnia liberalitèr ostendam, quibuscumque ea scire ac habere libeat.

61. Nunc eò undè egressa est revocetur oratio. Anno 1763 per urbem in qua ego degebam

Me-

Medicus alienigena pertransijt, qui nunc Germanum nunc Anglum se esse dicebat. Hispano sermone venustè loquebatur, & quàm plura secreta ad omnes morbos persanandos possidere affectabat, ac inter ea aquam efficacissimæ virtutis ad affectus hypochondriacos, cachecticos, ictericos, universosque morbos qui ab obstructionibus inveteratis suos natales ducerent. Magna languentium multitudo, ut moris est, ad Chymicum (sic hujus indolis Professores vulgò appellant) confluxit, ejus consilium exquirendi causa; ac inter eos ictericus, qui urbis Medicorum ope destitutus in summo discrimine versabatur. Chymicus curationem verbis augebat, & rem magni negotij ac laboris ponderabat, at ægrotus marsupium ostentabat; & cum mortalium pectora cogat auri sacra fames, Chymicus præstantius inter sua secreta illi detegere non dubitavit, nimirùm aquam quam miris laudibus efferebat; & quam sequenti modo disposuit.

Præscriptio originalis.

62. Verbo ægrum erudivit modo Salem calcinandi ut suprà, num. 49. descripsimus, ac scripto cetera in hunc modum concinnavit. ℞. „Salis modo „præscripto calcinati uncias duas: infunde in octo

„aquæ

„ aquæ communis sextarijs. Hujus aquæ sextarius unus „ usurpabitur manè jejuno ventriculo, hiberno tem- „ pore tepidus, verno naturalis: hora ac semisi tran- „ sacta, sumetur jentaculum, jus scilicèt cum offa panis, „ sive chocolatum, si gustui ac ægri temperamento „ congruat: ad prandium, quinta aut sexta hora post- „ meridiana, & ad cœnam, uno verbo, pro potu ordi- „ nario eadem aqua usurpabitur sine alterius cujuscum- „ que mixtione per 15 aut 20 dies, bibendo sem- „ per manè jejuno ventriculo sextarium unum. Si „ ægrotus hujus aquæ potu aliquantùm incalescat, „ semisextario lactis caprini recentèr mulsi uti poterit, „ quoàd natura temperetur sub hoc ordine. Primo „ usurpabit lac, & post horam sextarium aquæ, & „ cetera ut suprà; vitando toto aquæ usus tempore „ fructus, acetaria, piperina, acida, &c. Hæc aqua „ sub hac methodo usurpata cujuscumque generis „ obstructionibus, oppilationi, ictero, mensium sup- „ pressioni apprimè medetur: æquè sanat hydropem, „ quascumque corporis pustulas, oculorum fluxus, „ & si podagricus ea jugitèr utatur, podagram illu- „ det. Animadvertere oportet, quòd dicta aqua sola „ non aliæ mixta usurpari debet; compertum nam- „ que habemus quòd si alteri aquæ mixceatur, non „ solùm ejus operatio intercipitur, verùm gravissima

„ ven-

„ventris tormina excitantur; cum sola usurpata suavitèr ac absque ulla irritatione suam exerceat operationem. Ægrotus prudentem victus rationem observabit, pultarium edet absque aromatibus, nec carne suilla; volatilibus tamen atque carnibus assis vesceri poterit.“

63. Hæc est medicamenti præscriptio, quam Chymicus auri pondere detexit, & qua cum ictericus ad pristinam revocatus est sanitatem magna omnium nostrum admiratione, non tantùm gravitate morbi, quantùm efficacia ac suavitate remedij; ante quindecim quippè dies perfectè convaluit. Hoc nixus exemplo ac longa eximiæ salis Anglicani virtutis in pluribus morbis persanandis experimentali notitia, hanc aquam pluribus alijs morbis adhibui eventu adeò fortunato, ut numero ægrotantium morborum curationes recenserentur. Quatuordecim & amplius annorum experientia me tàm nimiùm mihi placentem reddidit, ut nihil amplius desiderarem; namque eò quo volebam aquam versabam. Diversus ac multiplex erat mihi modus utendi nùnc in illa quantitate, nùnc in hoc, nùnc in illo sapore, ita ut ab ægrotantibus sciscitarer qua aqua sanari velint? Aqua pellucida, anisata, Cinamomi, Fragariæ, Limonis? Huic enim aquæ sapo-

po-

porem ac guſtum pro voluptate ægrotantium adjungebam, quin ejus virtutem deobſtruentem, aperitivam, diureticam, purgantem ullo modo turbarem; ac ſic curatione oblectabatur ægrotus. Pro hac cogitandi ratione multis ab hinc annis libellum confeci, cui titulus: *Apotheca, ſive Taberna aquarum mulſarum ægrotantibus, ac Pharmacopolium præcautionis benè habentibus*: quia non tantùm in ſtatu morboſo hæc aqua propinatur, ſed etiam in ſano luna decreſcente Primovere & Autumno ad podagram, pluraque alia accidentia vitanda propinari poteſt.

64. Hæc cogitandi ratio eò plus mihi in delicijs erat, quantò ad confirmandum meam Aquæ methodum conſpirabat, in qua in nullum alium ſcopum collimavi, quàm ut Medicinam in ſuam priſtinam ſimplicitatem revocarem, ac omnes morbi ſola aqua vel paulo plus curarentur; ita ut ſi à communi praxi medendi inutilem ac noxiam remediorum farraginem propulſarem, conata mea perficerem. Multós quidem in hanc opinionem adduximus, ſed plures adhùc ſuperſunt quos expugnare debemus, ut Medicinam in ſua veteri ſimplicitate ſtatuamus. Futurum tamen ſpero, ut tempus, experientia, ac erroris cognitio hunc nobis reportent triumphum.

Fe-

65. Felici igitur eventu propinatur hæc aqua, ut ex medicamenti præscriptione accepimus, in omnibus morbis qui à primarum viarum vitio proveniunt, crudorum humorum abundantia, bili, ac stomachi & intestinorum succis salivalibus depravatis; in affectibus hepatis, lienis, renum, mesenterij, ac in omnibus qui à prava digestione proficiscuntur, uti febres intermittentes, mesentericæ simplices, colici humorales, dolores nephritici, rheumatici, ac podagrici; in acoribus, flatibus, borborigmis, qui causa sunt tympanitidis, aliorumque malorum; in ictero inveterato ab obstructione pororum biliosorum substantiæ hepatis, ac cystæ feleæ ductuum, qui bilem ad intestina advehunt; in hydrope in qua enormis non adest viscerum læsio, asthmate humorali, tuberculis lymphaticis, hydatibus pulmonis, tumoribus ateromatosis, ac pectoris hydrope à cruditatibus & dispositionibus cachecticis proveniente; in vertiginibus symptomaticis à primarum viarum vitio, quæ sunt ut plurimùm occurrentes; in mensium suppressione à principio cachectico & pravis digestionibus, quæ sterilitatum regularitèr causa existunt; in opthalmijs simplicibus serosis vel lymphaticis; in affectibus verminosis, atque à glutine spontaneo procedentibus; in ulceribus inveteratis præsertìm crurum quæ à seris acido-

acribus, quæ eorum cicatrizationem impediunt, substinentur; ac demùm in omnibus illis morbis, qui à solidorum obstructione, fluidorum visciditate, laxitate viscerum, ac nimia fibrarum rigiditate originem trahunt; & cum nullas causas vel principia morborum nostrorum agnoscamus, quàm quæ nupèr retulimus, hæc aqua titulum *remedij penè universalis* nanciscitur.

66. In omnibus prædictis casibus suam hæc aqua peragit operationem temperando, deobstruendo, purgando, diluendo, atque disponendo hac via & ratione humores crassos ad epycraticam evacuationem, quam eximia suavitate producit ac mollitie. Adde quod uti illis egregiam præstat fluxilitatem, illos per meatus urinæ ducit, ac per insensibilem transpirationem absque molestia neque superpurgationum periculo, quæ nullum efficit ceterorum purgantium, quæ maxima indigent præcautione, ut in dicto casu securè ac sine discrimine operentur.

§. X.

67. At quamvis hæc aqua in memoratis morbis juxta Auctoris præscriptum propinari queat, infundendo in quatuor aquæ sextarijs Salis unciam unam; plures nihilominùs suscipit varietates, ac multiplici modo usurpari valet pro anni stationibus,

mor-

morborum indole, ac ægrotantium temperamento. Ad quod tria præmonere oportet. Primum: quòd prædicta aqua quocumque modo tractetur nunquàm sua cathartica virtute denudatur; quarè calcinetur Sal sive non, semper haccine virtute pollet, ut notavit clarissimus *Grew.*[1] Secundum: quod omnis sal per calcinationem suam amittit aciditatem, ut asserit ac demonstrat *Hoffmanus.*[2] Tertium: quòd hic Sal calcinatus ac præsertìm igne nec tanto viget amarore, nec tam præstanti gaudet purgandi virtute, quàm Sal non calcinatus. His tribus suppositis propositionibus, quas ex propria experientia multotiès comprobavi, exponere pergo multiplices modos, quibus hac aqua uti valemus, ac varietates quas longus illius usus me docuit.

68. Primo: quòd hic Sal usurpari poterit in ratione purgantis eadem quantitate ac dosi, ac Sal non calcinatus; namque ut ex *Grew* accepimus, calcinatus sive non calcinatus eadem gaudet purgatrice virtute. In hoc casu in uno aquæ sextario Salis uncia una injicietur & usurpabitur, ut suprà monuimus num. 59. Secundò: quòd licet Auctor præscripserit, quod hæc aqua pro potu ordinario sumatur sine alterius cujuslibet aquæ mixtione, experientia didici remit-

(1) Grew, ubi suprà, cap. 1. num. 13.
(2) Hoffm. tom. 4. observ. Chym. lib. 2. observ. 16. pag. 499. n. 9.

tendum esse aliquid pro temporum statione ; exemp. grat. Vere, pro conditione morborum, qui altas adhùc non egerunt radices, & pro nonnullis exquisitæ sensibilitatis ægrotis. In his itaque circunstantijs usurpari solùm quiverit horis tantùm medicis, scilicèt manè jejuno ventriculo sextarius unus, post horam unam & semisem jentaculum, ac alius sextarius vel minus, si ægrotus bibere renuat, duabus horis ante prandium, ac alius quinta vel sexta hora postmeridiana : ad prandium & cœnam usurpari poterit aqua communis sola vel cum pauxillo vini, prout id in uniuscujusque venerit consuetudinem.

69. Hæc aqua usurpari etiam poterit pro potu ordinario, infundendo Salis unciam unam in sex aquæ communis sextarijs, uti in methodo animadvertimus. Hoc modo majori suavitate operatur, gratior est, ac forsàm magis congruet illis qui sunt ad sedes procliviores. At in hoc casu poculum primum, à quo curatio sumit exordium, aquæ purgantis esse debebit, id est, aquæ quæ in quantitate duodecim unciarum Salis unciam unam contineat ; & postquàm natura moveri incipiat, aqua leni prosequitur pro potu ordinario ; uno verbo : sicut aquis mineralibus stimulus aliquis purgans initio adjungitur, ut citiùs operentur, eodem modo hæc aqua activior initio propinatur, ac posteà aqua leni prosequitur.

De-

70. Deniquè cum uti ab *Hoffmano* erudimur [1] omnis sal per calcinationem sua aciditate denudetur, compertum habeo, quòd in illis qui acidis abundant, ut hypochondriaci, ac ulceribus premuntur inveteratis, quæ seri ac succi nutritij acore substinentur, Sal calcinatus, utpote qualiquali acore quo sua natura pollet, depuratus præstantiores producit effectus, quàm Sal non calcinatus; ratione abs dubio quòd Sal calcinatus plus ad magnesiam albam sive substantiam alcalinam accedit, quæ acida melius absorbet; & propter eamdem rationem calidis, biliosis, siccis, ac quibus pharmaco temperato opus sit, Sal non calcinatus magis congruet. Experientia etiam me docuit, quòd nonnullis fibræ nimis elasticæ hæc aqua incendium atque irritationem attulerit, sed id omne nullo negotio corrigitur usu lactis caprini, uti monet Auctor in sua methodo ac præscriptione originali. [2]

71. His igitur deductis jam liquidissimè demonstratum esse arbitror id quod instituti nostri erat, exponere scilicèt incomparabiles Salis paludis de la *Higuera* in medendo virtutes, ejusque multiplicem in profectum humani generis usum, quin in alium collimarem scopum, quàm quod boni civis ac prudentis viri nomen nanciscerer: nam uti hujus Dis-

ser-

(1) Ubi proximè, num. 59.
(2) Suprà, num. 59.

sertationis exordio adduximus ex *Sydenhamo*: „Si quis
„inter mortales reperiatur, qui sive methodo ali-
„qua certa, sive remedio specifico adhibito febrium
„harum intermittentium cursum non solùm inhibe-
„re, sed etiam omninò abrumpere novit, existimo
„eum omni jure teneri, ut humano generi rem illam
„summoperè expetendam patefaciat: quod si non
„fecerit, ego illum nec boni civis nec prudentis
„viri nomen mereri pronunciare ausim; neque enim
„civis boni est illum in rem suam vertere, quod
„toti generi humano tàm ingens beneficium appor-
„tet, nec viri prudentis divina benedictione seme-
„tipsum privare, quam à summa bonitate liceret
„expectare, si ad publicum bonum promovendum
„se accingeret. Honoris autem ac divitiarum longè
„minor apud probos ratio habetur, quàm virtutis
„& sapientiæ.“ Hucusquè *Sydenham*; atque hic laboris
& operis.

FINIS.